


AVGVSTINI VALERII,
EPISCOPI VERONAE,
Libri tres,
DE RHETORICA ECCLESIASTICA.



SYNOPSIS

EIVSDEM RHETORICAE

AB IPSO AVCTORE

contexta.

ADIVNCTIS TRIBVS PRAELECTIONIBVS,

AB EODEM HABITIS,

quibus omnis huius Rhetoricæ explicandæ ratio traditur.

Accessit item

Index rerum, et uerborum.

CVM PRIVILEGIO.



MEDIOLANI,

Apud Pacificum Pontium, Typographum Illustriß. et Reuerendiß. Cardinalis Borrhomæi Archiepiscopi. M D LXXIIII.

AVGVSTINI VALERII, EPISCOPI VERONAE,

Libri tres, DE RHETORICA ECCLESIASTICA.

SYNOPSIS EIVSDEM RHETORICAE AB IPSO AVCTORE conscripta.

ADIVNCTIS TRIBVS PRAELECTIONIBVS, AB EODEM HABITIS, quibus omnis huius Rhetoricae explicandae ratio traditur.

Accessit item Index rerum, et uerborum.

CVM PRIVILEGIO.

MEDIOLANI.

Apud Pacificum Pontium, Typographum Illustriss. et Reuerendiss. Cardinalis Borromaei Archiepiscopi. [illegible]

AMPLISSIMO, ET RELIGIOSISSIMO

CARDINALI,

CAROLO BORRHOMAEO,

patrono optimo,

P. GALESINIVS PROTONOTARIVS APOSTOLICVS.

S. D.



AGNVM opus est, atque difficile, Cardinalis amplissime, mandare litteris de rhetorica ecclesiastica praeceptiones; easq. grauissimis sententijs, et uerbis lectissimis explicatas, ad rhetorum morem ratione et arte distinguere. primo enim quaecumque in rhetoricae scriptionis genus cadunt, ea sane quidem cum innumerabilia penè sint: tum graecis, latinisq. litteris partim a ueteribus, nobilissimis illis dicendi magistris, tradita uberrime; partim a recentibus tractata etiam uarie; non facile profecto certa quadam uia ita comprehenduntur, ut in omnes partes possit usus illius ecclesiasticae tractationis plane conformari. Multiplex est ab illis instituta de oratoris officio praecipiendi ratio; uaria de fine quaestio; plena concertationum de oratorijs partibus disputatio. quarum partium unaquaeque cum sit ars ipsa magna per se se, earum omnium concursus uim maximam, maximamq. difficultatem habet. idq. ex multis cognosci licet, atque ex eo in primis, quòd una sola pars ab Hermogene, homine graeco, rhetore magno, duobus; a Romanae eloquentiae principe, quattuor comprehensa libris, uix perfecta, et omnibus numeris absoluta uideatur. de illis praeterea partibus, ex quibus oratorium opus conficitur, et quasi conflatur, deq. earum numero item sunt opiniones eorundem, non solum multae, uerum etiam inter se admodum dissentientes: contentioq. itidem est, et ea quidem litigiosa cum de omni alia oratoria suppellectile,

tum de materia, quam tractat; et in qua tota dicendi uis uersatur. hæc copiosa olim a Leontino Gorgia primum, Protagora Abderite, et Prodico Cio proposita, ualde etiam a ceteris id generis hominibus, dilatata, et a Crasso, oratore Romano, optime defensa, rursus ab alijs oppugnata, angustis ijsq. certis est conclusa finibus. Plena igitur contentionis, sapientium uirorum eloquentissimorumq. hominum iudicio, sunt præcepta rhetorum; eaq. pleraque, et si in gymnasijs, in umbratiliq. eorum exercitatione, aliquando probata, sæpe tamen ecclesiastici oratoris usui, aut non accommodata, aut certe planè aliena uidentur. Deinde in uaria illa, et ferè tota controuersa istorum præceptione, illud etiam, quod in omni scribendi genere curam, uel difficilem, affert, maxime inest; uia scilicet, ac ratio non una, neque certa, sed multiplex, et ea sane anceps, qua expositæ sunt rhetoricæ scriptiones. alij enim non græci modo, sed romani, eo de genere in utranque partem disseruerunt sic copiose, ut opinionibus aliorum allatis, rursusq. ijsdem refutatis, loquendi præcepta tradiderint, permulta aliquando ad rem oratoriam minus necessaria: alij concise, et breuiter hoc ipsum scribendi argumentum complexi, ne necessaria quidem præceperunt. plerique uero, etsi optimam uiam aggressi, rem totam enucleate perscripsere; nihilominus tamen sunt in tractationis modo ita uarij, ut interdum in præcipiendo sibi ipsi non constent omnino. atque id quidem in ipsis antiquis rhetorici artificij parentibus, et tamquàm architectis ueteris eloquentiæ perspici licet. Sunt quidam præterea recentes, ueluti minorum gentium scriptores, quibus, ostentandi ingenij sui causa, hoc maxime propositum fuit, ueterum eorum institutis aduersari. in istis si rem totam spectare uolumus; cum illam eloquentiæ formam, et quasi faciem aspiciemus, pigmentis, fucoq. puerili illitam, non ueram, non naturalis succi plenam, non suo colore florentem; tum et opus, quod de oratoria doctrina contexunt, uario certamine implicitum, et tradendi artificij rationem

tionem

tionem solo repugnandi studio susceptam, perobscuram illam, longeq. omnium difficillimam cernemus. Quare in tanta, atque adeò uaria rhetorum præceptione, et in singulis partibus oratorijs, maximis illis explicandis; in summaq. de toto genere contentione, res operosa est, ac perdifficilis, quemadmodum exposui, omnis hæc rhetorica tractatio. Ea uero difficultas sicut maxima uidetur in eloquentiæ arte explicanda, ad ciuilium humanarumq. causarum actionem, atque usum constituta: ita multis partibus maior illa sane est in rhetoricæ ecclesiasticæ institutis, ac præceptis tradendis; quo grauiores in hac, quam in illa, loci propositi sunt ad dicendum. in hac de gloria Dei, de animarum salute, de æterna, uereq; beata uita, de fidei propagatione, de diuinis, cælestibusq. disseminandis uirtutibus, de eripiendis uel morum, uel opinionum erroribus, de omnibus denique, copiose, sapienter, ornate, ac diuinitus disserendum est; quæ ad hominum mentes, euangelicis legibus, et christianis institutis conformandas pertinent. in illa, si publicæ res spectantur, e populari opinione amplæ causæ insunt, et conciones, de pace uidelicet, de bello, de uectigalibus, de rebus tum exportandis, tum importandis, et demum de legibus ferendis; at de ijs quidem ipsis cum incidit fortasse locus; ecclesiastica dicendi ratione tractatur oratorie non distinctius solum, sed et grauius, et splendidius. in priuatis autem causis fuit olim oratori forensi dicendum de stillicidiorum, parietum, luminum, testamentorum, aliarumq. eius generis rerum iure. Porrò longe dissimiles, ob eamq. rem multo maiores sunt ecclesiastici oratoris ij loci, de abdicandis facultatibus, despiciendis opibus, propinquis, et amicis relinquendis, honoribus contemnendis, uoluptate fugienda, amplectenda humilitate, morte oppetenda, et condonandis iniurijs. Hæc atque alia innumerabilia ut præstantissima sunt, ita ad ea suadenda, uel persuadenda potius, maximo opus est, non illo forensi, sed ecclesiastico oratorio ornatu, atque apparatu: qui non omnis e rheto-

rum officinis existere solet, sed ex illius diuinæ eloquentiæ fontibus, cuius aliqua uel adumbrata, uel plane expressa effigies apparet in antiquissimorum patrum monimentis: unde ubertas, et quasi sylua ducta est eloquenter ecclesiastico more dicendi. Alia etiam sunt religionis nostræ decreta, corruptæ hominum naturæ, deprauatisq. moribus omnium gentium aduersa, quæ sæpe in christiani oratoris concionem incidunt. ea cum salutariter constituta sint, necesse est sic dicantur, ut præstantiori, quàm rhetorum more fieri possit, genere orationis, ac plane diuina ui uerborum expressa, illustrataq. maiori sententiarum lumine, splendescant, quò dilucidius, et grauius prope ad æternitatem infixa hæreant in mentibus, animisq. audientium. Sæpe item a uitijs, atque a turpitudine est ecclesiastico oratori deterrenda multitudo; sæpe, atque adeo semper, ad aspiciendam beatæ uitæ lucem reuocanda; perpetuoq. est eadem ad christianarum uirtutum accendenda studium: hic adhibendæ dicendi faces, non illæ, oratorum arte excitatæ, sed ecclesiasticæ orationis studio accensæ. Quæ præterea, et illa sane plurima, a doctissimis hominibus, sanctissimisq. uiris, theologiæ scientiæ magistris, recte, ac sapienter, diuineq. cogitata, litteris mandata sunt; eaq. exposita tum ad contemplationem, tum ad morum, ac uitæ usum, cum obscura sint interdum, et ad intelligendum sæpe difficilia: de ijs oratoris illius Ecclesiastici est, dilucide posse dicere, nec sententijs solum argute, sed uerbis etiam ornate, atque ita quidem, ut in eo, prudenter utente litteris, et scientia, requiratur maior eloquendi uis, quam rhetoricis comprehensa sit præceptionibus. Iam uero idem, si quando sibi aduersus fidei christianæ singulos hostes, hæreticos, iudæos, mahumetanos, idolorum cultores, ceterosq. ab ecclesia Dei dissidentes, dicendum erit; grauissimæ huius orationis, aut concionis neruos ac robur assumet, non a rhetoribus quidem, sed a priscis patribus: qui singulari religione et sapientia uiri, eloquentiæ copijs instructi, dimicatione suscepta pro ueritate, semper in acie, semperq.

perq.

perq. in sole, ac puluere uersati sunt. Quae omnis res cum ita se se habeat, ut eo scilicet praeclarius ecclesiastico oratori eloquendum sit, eoq. neruosius dicendum; quo is grauiorum rerum sibi genus amplissimum ad concionem constitutum esse uidet: inde facile intelligi licet, quod iam positum est, de rhetorica ecclesiastica praeceptionem longe difficiliorem uideri, quam altera est, quae in saeculari, uel ciuili oratorie dicendi arte cernitur. hocq. etiam maxime, quòd huius instituta, in rhetorum scholis tradita, non modo aliquando non conuenientia sint, sed repugnantia saepe, ut dixi, ecclesiasticae eloquentiae rationi, atque usui. Id omne optime ipse noras, Cardinalis amplissime. at, quo singulari es animi iudicio, sapientiaq. incredibili, quamquam opus eo de genere arduum cernebas: tamen confici idem posse, certa aliqua ratione indicabas. Hoc te cogitantem multa confirmabant. primum enim illa, ab antiquis rhetoricis doctoribus tamquam instrumenta ad dicendum comparata, ornamenta, quibus quasi stellulis elucet tota eloquendi facultas, inesse animaduertebas cum in ceteris diuinarum litterarum scriptoribus, tum in Esaia, longe omnium eloquentissimo propheta, cuius studio potissimum delectaris. Crebra esse in omni sacro uolumine non modo translata uerba uidebas, sed omnem orationis conformationem maxime frequentem. Illam etiam in diuinis scriptis, ac praesertim in illius gentium; populorumq. omnium doctoris, Pauli Apostoli epistolis expressam, quasi Theopompeo. Isocrateoq. more, numerose dicendi scribendiq. rationem, plane intellgebas ex sanctissimi uiri, et in hac ipsa eloquentiae doctrina multum exercitati, Augustini libris: qui ita ab illo circumscripte, apte, et composite sententias concludi docet, ut nihil fieri in eo genere possit, uel praestantius, uel perfectius. Tres uero eas dicendi figuras, a sapientissimis uiris ad triplex illud oratoris officium excogitatas, atque inuentas, plane eminere cernebas tum in aliorum ecclesiae doctorum concionibus, tum in libris etiam eius, quem tibi

propofuisti

proposuisti ad imitationem, sancti episcopi Ambrosii: qui mirificus moderator, et quasi temperator fuit illius tripartitæ uarietatis. Inuentionis autem, quæ ad christiani oratoris usum pertinet, materiam, iam inde primum ab initio fere nascentis et adultæ ecclesiæ, uberrime explicatam esse perspiciebas per diuinos illos religionis nostræ interpretes; non græcos solum, Iustinum martyrem, Basilium, Nazianzenum Gregorium, Chrysostomum, aliosq. ueteri græcia dignos, sed per latinos etiam in primis, Cyprianum martyrem, Hieronymum Gregorium pontificem, Ambrosium, Leonem magnum, in ijsq. ipsum Augustinum: qui quattuor complexus libris eius rei tractationem, ex qua promuntur rationes, et argumenta ad constituendas sacras contiones, informandæ ecclesiasticæ rhetoricæ uiam ceteris deinceps commonstrauit, ac patefecit. Hoc igitur opus, religiosissime, et sapientissime Borrhomæe, sicut multis partibus perdifficile iam noras: ita uidebas etiam notandis animaduertendisq. ueterum patrum monimentis, ijs præsertim, in quibus ecclesiasticæ eloquentiæ impressa apparent uestigia, posse illud quidem perfici, atque absolui. Id sane cum apud te constitutum haberes, indicaresq. quod mente conceperas, idem, uidelicet opus, aliquando confectum, et præclarum quoque fore, et eiusmodi omnino, cuius cum tractatio omnis frugifera, tum nulla pars eius futura esset inculta: illud maximæ tibi curæ fuit, ut comprehensa animo tuo, istius operis quasi imago, litteris exprimeretur quam diligentissime. Ad quam rem perficiendam ipse sponte tua incitatus, quotidie inflammabaris uehementius, non studio solum, quo mirifico accensus es ad ecclesiasticarum disciplinarum propagationem, sed charitate illa in primis, qua tui egregij seminarij clericos unice in Christo diligis. cum enim e re christianapublica esse censeres, iam institutis Tridentini concilij graui decreto clericorum collegijs, tamquam uirtutum, eruditionisq. sacræ seminarijs,

ad

ad usum reuocari in illis ueterem sanctorum patrum eloquentiam: hoc etiam in multis, quæ de eo tuo Mediolanensi seminario per te, magna pastoralis officij religione, recte ac sapienter statuta sunt, optimum factu duxisti, ut hoc ipso in genere clericis, qui eo loci alerentur, esset consultum et accurate, et utiliter. iam namq. illius eloquentiæ fructum uberrimum uidebas, atque usum certe maximum. itaque sicut in rhetorico certamine, quod de re omni oratoria magnum, uariumq. sibi instituerunt antiqui illi dicendi magistri, atque adeo alij, quasi ueteris rhetoricæ artis emendatores, ætatem illos conterere, id non ualde accommodatum esse sentiebas disciplinarum clericalium rationibus: ita deliberasti, quoniam hoc utile maxime existimares, eosdem, cum sacrarum litterarum studio dicendi doctrinam coniungentes, diligenter in curriculis uersari debere ecclesiasticæ patrum eloquentiæ. si quidem in huius facultate exercitatos eos, oratoriaq. illa concionandi copia instructos, quam maiores illi nostri ad diuinarum rerum scientiam adhibuerunt, posse etiam intelligebas, proposita theologica thesi, non subtiliter solum, scholasticorum more, de ea disserere; uerum etiam dicere ornate, copiose, apteq. ad populorum intelligentiam. Sapienter, ut cetera soles, hoc statueras: sed in præclara deliberatione adhuc deerat opus, oratorijs ueterum illorum Patrum institutis, atque exemplis conformatum, et expressum, quale ipse animo conceperas. Cogitas igitur de eo conficiendo: opificem, cuius industria, studioq. illud plane absolui posset, uides plane alium neminem, nisi hominem, et theologiæ scientia ualde eruditum in primis, et priscorum patrum singulari quadam instructum cognitione, et ecclesiasticarum rerum doctrina, atque usu peritum, et in rhetoricis, politioribusq. litteris uersatum diligenter, eundem denique, cum hoc etiam ad rei agendæ splendorem, et auctoritatem maximi interesse putares, uirum grauissimum, ac sapientissimum. quarum sane omnium rerum in uno homine concursus ancipitem perficiendæ rei curam afferebat. at uolente Deo, res ita optime cecidit, ut ma-

xime optabas. Proximis annis Augustinus Valerius, episcopus Veronæ, ut est amplitudinis tuæ cupidissimus, tuarumq. episcopalium uirtutum, quæ sunt ad omnem imitationis laudem maxime insignes, imitator studiosus, Mediolanum ad te uenit. hanc occasionem ipse nactus, nihil potius habuisti, quam ut de rhetorico ecclesiastici generis opere scribendo cum eo potissimum ageres, quem noras non modo eruditum, et diuinarum litterarum, humanarumq. studio florentem, sed uirum plane optimum, plenum pietatis, et omnis pastoralis officij diligentissimum. is primo, qua est sapientia, rem factu difficilem uidit, nec posse perfici animaduertit, nisi multo temporis spatio, multoq. studio, nec denique nisi summo otio; quod fere nullum datur homini, dignitatem, ac munus episcopale gerenti. itaque etsi ille habuit, quamobrem hoc scribendi munus recusaret, tamen suscepit quidem non inuitus. nam cum is operam, studiumq. suum libenter in ijs rebus ponat, quibus se aliquid reip. christianæ prodesse uidet; tum, sibi propositis sanctissimis, eisdemq. doctissimis uiris, ualde admodum cupit, ad catholicæ sanctæq. religionis disciplinã et præsentes exemplo, doctrinaq. erudire; et posteros adiuuare scriptorum suorum monimentis. qua singulari ille uoluntate, tuaq. in primis, quam maximi facit, auctoritate impulsus ad rhetoricã ecclesiasticam conscribendam, hoc opus aggressus, ut præclare sane inchoauit, sic, bene iuuante Deo, perfecit plane egregie. Is non peruulgatam illam, ac tritam rhetorum uiam secutus, sed sapientissimo cuique probatam rationem, eamq. ex Aristotelicis fontibus haustam, mirabiliter consectatus, in tãta tamq. uaria, et copiosa præceptione, modum, id quod difficile erat, inuenit, quo tota hæc ecclesiastica oratorie dicendi ratio explicaretur. Certe multarum, magnarumq. rerum copia a maioribus nostris, sanctis doctisq. uiris, pie admodum, et erudite tradita est, ac subministrata nobis ad ecclesiasticas conciones: at qua uia, et ratione omnis illa doctrinæ suppellex posset ad rhetoricam dicendi præceptionem, et usum accommodari; id e ueteribus, ut dixi, unus sanctus Augustinus ostendit solum.

præte-

præterea nemo. Non desunt autem multi, qui theologiæ locos ad dialecticorum morem disputationibus pertractarunt. quorum primus, ut ex historia ecclesiastica a beato Hieronymo accepimus, Clemens Alexādrinus extitit, uir apprime eruditus. hunc deinde permulti secuti sunt, homines et sanctitate, et doctrina præcellentes: in quibus ille ipse diuus Augustinus disputationes eas mirum in modum auxit: studiaq. earundem Damascenus græce plurimum adiuuit, ac latine illas complexus Petrus Lombardus, in locos itidem communes digessit: quorum sane tractationem cum alij cōplures aggressi sint; tum maxime disputationibus grauissimis, ac diuinis illustrauit, uir singulari doctrina et pietate, sanctus Thomas Aquinas. In illa igitur theologiæ locorum ratione sicut et multi uersati sunt, et plurimi sane uirum illum eruditissimum, sanctitatisq. laude insignem, Augustinum sunt in eo ipso theologicarum quæstionum genere imitati: ita in hac rhetoricæ ecclesiasticæ tradendæ uia, qui uel illius imitator fuerit, uel hoc saltem, grauiter conatus sit, uix pene alium inueniamus licet, præter Episcopum Veronæ, Augustinum Valeriū. non inficior tamen, e recentibus plerosque extitisse, qui hoc argumentum sibi ad scribendum proposuerint; sed quam longe, quamq. utiliter in eo progressi sint, aliorum sit iudicium. Hic uero noster, qui scilicet, te potissimum auctore, hanc perdifficilem scriptionem suscepit, propositis sibi diuini eius uiri de doctrina christiana libris, quibus quasi formam aliquā rhetoricæ ecclesiasticæ ille cōmostrauit; quod oratori ecclesiastico aliquando usui esse possit, id omne aristotelico more erudite percurrens, distribuit prudētissime, et tradit accuratissime. Si interdum uerbis est in præcipiendo breuis, at rerum comprehensione certe copiosus, et grauis. personam enim induit non interpretis, sed auctoris: e cuius uel minima præceptione existat commentatio, atque exercitatio doctrinæ maxima. Quare si magnis illis uiris, qui theologiæ scientiam, olim a patribus fuse, lateq. explicatam, scholastico differendi modo, articulatim distincteq. tractari docuerunt, tantum debetur, quantum sane plurimum deberi,

omnes plane sciunt: profecto fateamur necesse est, non parum quidē debere huic, omni laude, omniq. honore dignissimo, episcopo: qui tribus his libris, quos, te in primis suadēte, de rhetorica ecclesiastica cōscripsit, quasi uiam et rationem parauit, qua possit ad usum reuocari uetus illa patrum eloquentia. Poterat fortasse hoc opus ab alijs scribi; sed tantum non haberet nec laudis, nec delectationis. ut enim si clarorum uirorum imagines ab Apelle pingerentur, aut a Lysippo fingerentur; magis animū oblectarent, magisq. oculorum sensum allicerent: sic res graues cum uirum magnum nanciscuntur, a quo tractentur, non modo explicantur accuratius, et praclarius; sed uim illam discendi, insitam animis, cum uoluptate magis accendunt. Itaque opus hoc tuum, sic enim appello, Cardinalis amplissime, quia id ipse primo mente exædificaras, cum non a quouis alio confici uolueris, quam ab sapientissimo episcopo, cuius iamdiu uirtus spectata est, ac nobilitata: næ ego illud spero fore, et tibi, qui excogitasti, præclarum; et opifici, a quo confici uoluisti, gloriosum; et clericis, quorum causa conficiendum curasti, utile admodum; et doctis omnibus, qui iam excitatam ueteris ecclesiasticæ patrum eloquentiæ lucem aspicient, non gratum modo, sed iucundum maxime. Qua sane spe cum ego primum essem; ad eandem sum post plane confirmatus auctoritate doctissimi theologi, et grauissimi uiri, F. Marci, Veronæ Inquisitoris; qui, cum in ancipiti operis edendi cura essemus, non solum id fieri suasit; sed ipse primo, te scilicet consentiente, edendum curauit. quamobrem ego cum de toto opere ita sentirem, erectiorq. spe factus illius uiri iudicio, non modo uolui hæc præfari; sed operam dedi, atque effeci, ut Mediolani etiam, qua in urbe operis huius quasi fundamenta primum iacta sunt, id iam Veronæ impressum, tuoq. nomini multis de causis iure optimo dicatum, in lucem emitteretur; idq. cum ad Dei gloriam in primis, tum ad uniuersæ reipub. christianæ usum.

PETRVS GALESINIVS

PROTONOTARIVS APOSTOLICVS

CLERICIS MEDIOLANENSIBVS, S.

CArolo Cardinale Borrhomæo aucto-re, libros de rhetorica ecclesiastica tres, Augustinus Valerius, Episcopus Veronæ, uobis perscripsit, non enucleate solum, sed utiliter maxime. rhetorum enim præceptionem, non uariã, est complexus; sed quæ ab Aristotele tradita, accommodari recte potest ad optimum ecclesiastici oratoris usum. nec uero præceptum ullum reliquit, quod utile iudicaret ad huius rei rationem. Ordinem præterea in hac scriptione adhibuit illius, quem sibi ad imitãdum proposuerat, nobilis philosophi. quo ordine nihil excogitari potest distinctius. definiuit primo Chistiani oratoris officium; finem eidem proposuit; de materia disse-


ruit; ſingulaq. illius genera perſecutus, certas ſedes oſtendit, unde argumenta promeretis. deinde tractauit, quæ ad Christianas animi cōmotiones, et ſingularum ætatum, ordinumq. mores pertinēt. poſtremo qua diſpoſitione, quo elocutionis genere ſit utendum, aperuit. de imitatione etiam, quæ multum momenti habet ad dicendi laudem, grauiter præcepit; de digreſsionibus item egregie admodū. Quæ uero ad concionis conformationes ſpectant, propter quas in tantum honorem aſcendit eloquentia, uobis illa diligenter expoſuit, notatis antiquorum patrum exemplis, et ſuis etiam ad præceptionem magis illuſtrādam adhibitis. Locos item, quos uſui uobis aliquando fore cēſuit, ſtudioſe docuit; ut de ſacrarum litterarum auctoritate, de traditionibus, de pontificum

ſanctionibus, de concilijs,de patrum doctrina, ac de tota theologiæ ratione. quid multis? hoc in genere cum bene dicendi præcepta uobis tradidit, tum etiam bene uiuendi. ſiquidem de uirtutibus chriſtianis amplectendis dixit,rurſusq. de uitijs fugiendis. ſed nolo ſingula perſequi, quæ ille multa,et grauia,et utilia his libris accurate, copioſeq. diſputauit; atque ita quidẽ, ut adiumentum attuliſſe uideatur,non rudibus ſolum,ſed doctis,tum ad eccleſiaſtico more dicendum,tum ad iudicandum. Quare hoc uobis perſuaſum eſſe uolo, libros hos, ſententijs graues,eruditos,moribus chriſtianæ reip.accõmodatos,utileſq. ad antiquę patrum eloquentię uſum reuocandum, uobis profuturos plurimũ. hoc ſane commodum,quod certe maximum eſt, a ſapientiſsimo Cardinale, communi


ueſtrum omnium paſtore, et parente, uobis affertur ex induſtria tanti uiri; cui hoc ſingulari beneficio in perpetuum deuincti eſtis. Itaque quantum animo conniti poteſtis, quantum labore contendere, tantum efficite, ut, cum hoc, aliaq. omnia ad recte agendum ſubſidia uobis ab illo ſuppeditata ſint, ne ipſi uobis defuiſſe uideamini. Beneficium autem, quod in uos præclarum Epiſcopus contulit, grata memoria uos proſequi oportet. quod omnes, ut ſpero, aſſequemini induſtria ueſtra; quę et in his libris ſtudioſe legēdis magna eſſe debet, et in eo pene ſingularis, ut doctrinarum ſtudijs uitæq. diſciplina uberem fructum non huic urbi ſolum afferatis, ſed alijs etiam locis: ubi exemplo ueſtro poſſit, bene iuuante Deo, in omnes partes diſſeminari ſolida illa chriſtianæ religionis pietas. Valete in Domino.

DE RHETORICA ECCLESIASTICA AD CLERICOS

Liber Primus.



Quandam esse Ecclesiasticam Eloquentiam. CAP. I.



INGVA, ut Lactantius Firmianus scribit, cùm uerum loqui cœperit, et uirtutem, maiestatemq. Dei interpretari, tum demum suo fungitur munere. quandiù falsa loquitur, in suo usu non est. oratores autem sæculi, qui falsis sæpe argumentis, et adulationibus incautos animos decipere consueuerunt, et in suis orationibus gloriam Dei propositam non habuerunt, rectius homines ad argutam copiosamq. malitiam, ad blandam, seditiosamq. calliditatem, atque ad omnia uerborum lenocinia instructos, quàm eloquentes, quispiam dixerit. Quod si quis contendat, tot mala non ab arte, sed a deprauata hominum natura fuisse profecta; oratorem sic esse definitum, uirum bonum, dicendi peritum; is certè non negabit, uiris etiam bonis dicendi facultate instructis, quos admirata est antiquitas, minime fuisse propositum, ad uerissimam Christi religionem, unicam ueritatis magistram, auditores instruere, et eos ad beatam, et æternam uitam impellere. Quare rectè, aliud animo cogitans, dixit ille apud Ciceronem, disertos se uidisse quàmplurimos, eloquentem uero neminem; cum, exceptis illis, qui Christum Deum aut prænunciantes, aut cognoscentes, diuino spiritu adiuti, uerissimam eius religionem copiose explicaue-

runt, eloquens meritò appellari nemo poßit. Sunt igitur colligenda, et accommodanda quædam præcepta, quæ doceant cælestem, ac sanctam eloquentiam: quorum cùm sit magistra, ut est salutarium omnium præceptorum, sponsa Christi sancta mater Ecclesia, Ecclesiasticam Rhetoricam illa constituent. Hanc diuinam potius, quàm humanam dicendi facultatem, et si Spiritus sanctus sine ulla doctrina, et labore interdum solet suggerere, obseruatione tamen sermonum, quibus sancti homines, eodem spiritu afflati, Christiano populo profuerunt, percipi et in artem redigi posse, nemo negauerit.

De Ecclesiastica Eloquentiæ utilitate. CAP. II.

VTILEM dicunt Rhetores eloquentiam, quia ueritatem tuetur, et extollit, quæ ignorantia iudicum, et aduersariorum calumnia depressa succumberet: quod non solum inutile, sed etiam turpe est homini. Addunt, quia salutaria consilia proponit, quia debitos honores uirtuti tribuit, quia populorum impetus sedat, quia in communi, quotidianaq. uita maximas utilitates affert. Ecclesiasticam nos eloquentiam non solum utilem existimamus ad ea, quæ illi dixere, sed ad religionem, qua nihil melius homini à bonorum omnium largitore Deo tributum est, inducendam, retinendam, propagandam. Ea enim qui sunt ornati, si diuinitus ad nobilißimum illud munus uocati sint; prouincias, regna ad Christum conuertunt, hæreses extinguunt, seditiones sedant, concordiam pariunt, leges præscribunt, confirmant, ac etiam imprimunt in animis hominum; ita ut uere sine tyrannide dominentur, et meritò ministri Dei, internuntij, Angeli, Christi legati appellari poßint. quibus nominibus iure nominantur Apostoli, et qui in Apostolico munere dicendi sine fuco, et ostentatione uersantur.

Quænam ars sit Rhetorica Ecclesiastica, & quale sit officium oratoris. CAP. III.

ARs autem, quæ Ecclesiasticam eloquentiam, christiano populo tam utilem, docet, Rhetorica Ecclesiastica appellatur: quæ est ars, siue facultas inueniendi, disponendi, et eloquendi ea, quæ ad salutem animarum pertinent. Oratoris autem Ecclesiastici officium est, ueritatem, arcanum Dei aperire populo, docere piè et innocenter uiuere, errores turpissimos, pestiferas superstitiones, prauas consuetudines tollere, ad piam, ueram, diuinamq. sapientiam, christianam religionem homines compellere, cognitione ueritatis, qua nullus est suauior cibus, auditorum animos nutrire. Eius autem hic est finis propositus, persuadendo augere regnum Dei, lucrari animas Christo, ornare sanctam Ecclesiam, minuere tyrannidem Diaboli, animas, Christi pretioso sanguine redemptas, ad æternam uitam, et beatitudinem excitare. Pluribus uerbis eandem ferè rem exprimentibus, officium et finem Ecclesiastici Oratoris explicauimus, ut teneris clericorum ingenijs consuleremus. Porrò fælicitas, siue beatitudo, iucundissimum, et pulcherrimum nomen, est uirtutis præmium, bonorum omnium abundatia, in uisione ac fruitione Dei posita. Quamuis autem ante obitum nemo uere beatus appellandus sit; perspicuum tamen est, beatos dici quosdam peregrinos, qui ad iter conficiendum omnibus impedimentis sunt liberi, beatos quosdam nauigantes, cùm portum uident. Ita in huius uitæ peregrinatione, inter tot fluctus, beatos humiles, Dei prouidentiam agnoscentes, et mentem suam inclinantes coram Deo; beatos mites, quorum anima ea dulcedine est prædita, ut nulla eam posit amaritudo perturbare; beatos lugentes, quibus concessa est gratia uehementer dolendi ob peccata, quæ fiunt, et ob bona, quæ fieri possent,

et minimè fiunt; beatos, iustitiam maximè utilem illam, & eximiam uirtutem amantes, quæ bonitatis, aut innocentiæ nomine potest significari; beatos misericordes, aliorum calamitatibus dolentes, eisq. succurentes; item mundos corde, temperatos, castos, qui impuræ libidinis tyrannide liberi, angelicam uitam incipiunt degere, uisuri Deum pulchritudinis, et omnium bonorum auctorem; beatos studiosos pacis, tantoq. et tàm magno bono fruentes, quia nihil repugnat, quòminus se ipsi regentes, in periculosissima huius mundi pugna uincant, et filij Dei; et hæredes, cœlesti hæreditate potiantur; beatos, quos mundus uarijs modis exercet, quos uituperat, quos calumnijs oppugnat, quia ueritatem diligunt, et tuentur, quia gloriam Dei quærunt, quia prodesse hominibus exemplo student. Cuius peregrinationis nostræ beatitudines expressit uerus magister, et Dominus Iesus Christus: easq. explicans Ecclesiasticus Orator facile demonstrabit, neque in uoluptate, neque in diuitijs, neque in honoribus, neque etiam in scientia, neque demum in proprijs uirtutibus, ut quidam philosophi putauerunt, collocandam esse fælicitatem: sola esse bona, quæ bonos homines efficiunt: bona corporis, ualetudinem, pulchritudinem, et bona externa, diuitias, honores, eatenus esse bona, quatenus illis recte scimus uti. Verùm quemadmodum medicus, quamuis non sanet semper ægrotum, est tamen appellandus bonus medicus, cùm adhibuerit omnia medicamenta ad sanandum; ita fieri potest prauitate huius sæculi, et peruersitate ingeniorum, ut audientes bonos concionatores, parum, aut nihil etiam proficiant, cum ipsi tamen boni concionatores sint appellandi. Quòd si oratione sua consequetur Ecclesiasticus orator, ut, postquàm dixerit, tacita quadam uoce loquantur inter se auditores, et commoti, ac compuncti corde, dicant: quid ergo faciemus? quod beatissimo Apostolorum principi dicenti concessum est, non minimum fructum se cepisse existimabit.

stimabit. Vt autem in omnibus, quæ infra globum lunæ continentur; quatuor genera causarum facilè est reperire: in homine enim efficientes causas dicimus Solem, et alium hominem; formam, animam ratione præditam; materiam, corpus; finem; fælicitatem. et in domo efficientem causam nominamus ædificatorem; formam figuram ipsius domus; materiam, lapides, cæmenta; finem, defensionem ab iniuria cæli: ita, fine paulo ante explicato, effectorem concionum, et bonarum omnium rerum, actionum, et uerborum, dicimus Sanctum Spiritum, qui precibus inuocandus est; nam sine eius præsenti numine, inutiles sunt omnes sermones, plane mortuæ sunt conciones. Hanc rem cum nouisset sanctus Dominicus, interrogatus, qua ratione, dicendo auditores in sui admirationem traheret, et tot animas, concionibus suis, Christo lucraretur; ea, quæ dicebat, se reperire respondit in libello charitatis, in libello Spiritus sancti. Proximæ causæ efficientes, sunt labor, et exercitatio. Forma in hoc est sita, ut apte, et congruenter dicatur ad populum; nam in scholis, breuiter, acutè, et de rebus difficilibus agitur: ad populum uerò copiosè, dilucidè, et de rebus in primis, ad utilitatem animarum spectantibus, habendus est sermo, ita ut concionis forma, et eloquentiæ christianæ uis ac summa omnium præceptorum, quæ tradimus, B. Augustini uerbis sit describenda, ut orator Ecclesiasticus ita dicat, ut intelligenter, obedienter, et libenter audiatur. De materia agamus.

Duplicem esse materiam huius artis: remotam, & proximam. CAP. IIII.

MATERIA Ecclesiastico oratori subiecta duplex est: remota, et proxima. remota continet omnia, quæ scripta sunt, ita ut quidquid ex philosophis, poetis, historicis, oratoribus, ex omni scriptorum genere excerpi potest, ad utilitatem populi;

id

id totum Ecclesiastico oratori, tanquam proprium, ab alijs usurpatum, subijciatur. proxima uero materia tribus dicendi generibus comprehendi potest, De liberatiuo, Demonstratiuo, et Iudiciali. Deliberatiuum genus est, quod in suasione, et dissuasione uersatur: cuius finis est utile. Demonstratiuum, quod in laudatione, et uituperatione est positum: cuius finis est honestum. Iudiciale in accusatione, et defensione est situm: cuius finis est iustum. Utile, ut B. scribit Ambrosius, nihil est aliud; nisi quod confert ad uitam æternam. Honestum sic definimus, uirtutis decorem, qui cum utilitate ita est coniunctus, ut separari nequeat. Iustitia est constans, perepetuaq. uoluntas tribuendi unicuique quod suum est: in hoc autem in primis sita est, ut agnoscatur cœli et terræ dominus, innocentiæ remunerator, et scelerum uindex: eiusq. præcepta obseruentur. Quæ omnia cùm ad ueram hominis fœlicitatem referantur; constat fines, non perinde ac Rhetores, utilitatem ab honestate plerunque seiungentes, putauerunt, esse à nobis christianis distinguendos.

Genus deliberatiuum ad quinque capita referri posse. CAP. V.

CUM genus Deliberatiuum in bonorum suasione, et malorum dissuasione uersetur: ad quæ omnis ecclesiastici oratoris labor, tanquam ad finem dirigitur; in hoc maximè studium et diligentiam ponat; ut a uitijs auocans populum Dei, ad ueram pietatem, christianasq. omnes uirtutes accendat, atque inflammet. Ea uero, quæ Ecclesiasticus orator populo suadere solet, ad quinque fortasse capita, facilioris doctrinæ causa, redigi possunt; ad credenda, ad speranda, ad timenda, ad uitanda, ad agenda. quibus capitibus uniuersa ferè Theologia, et tota christianè uiuendi ratio comprehenditur. nos qui clericis scribimus, quædam attingemus, quæ

ipsis

quæ ipsis aliquam propositionum copiam possint suppeditare, perfectam eorum capitum tractationem omittentes: ne actum a doctissimis Theologis agamus; et scopi, quem nobis proposuimus, obliti esse uideamur.

De credendis. CAP. VI.

ITAQVE dicet Ecclesiasticus orator credendum esse expresso in sacris litteris Dei uerbo, de quarum auctoritate alio loco dicemus. Et ut intelligat non omnia, ad salutem pertinentia, comprehendi expresso Dei uerbo; legat Osij Cardinalis Vuarmiensis, doctissimi hominis, pulcherrimum ea de re libellum. Credendos duodecim articulos, qui in sancto Apostolorum Symbolo continentur, proponet. in quorum explicatione, magnam copiam ei suggeret aureus liber, qui proximis annis iussu PII V. Pontificis Maximi est editus, Catechismus Romanus. Cauebit ne ullum unquam articulum in dubium reuocare uideatur: quod nonnulli faciunt ostentatione potius, quam inscitia, aut infidelitate. disputant enim de Dei prouidentia, et argumenta multis iam sæculis explosa, in medium afferunt. qui conatus minime necessarius, ut periculosus, aut potius perniciosus, non est laudandus. Sæpe Ecclesiasticus orator affirmabit duodecim articulos fidei esse principia, bases, et fundamenta christianæ religionis: ita esse certa, ita indubitata, ita multorum martyrum sanguine confirmata; ut stultum sit, aut potius impium, eos in dubium reuocare. Proponet etiam esse Apostolis, et apostolicis uiris, tanquam ministris Spiritus sancti, fidem adhibendam: admittendas sanctas traditiones Apostolorum, quas, uoces Dei, et oracula, eiusdem sancti Spiritus, quem æqualem patri, et filio adoramus, existimare christianus populus debet. Sanctam Ecclesiam matrem, et magistram ueritatis, et sponsam Christi credendam: sanctis Conci-

lijs

lijs generalibus, quibus tantam auctoritatem tribuendam putauit Beatus Gregorius, quantam Euangelistis, nimirum quia in Spiritu sancto sunt congregata, assentiendum; et sanctis Doctoribus, si inter se consentiant. Non credendum Sathanæ, perenni animarum nostrarum hosti, scelestam dogmatum nouitatem suggerenti. non credendum eius discipulis hæreticis, puritatem catholicæ fidei malitiose, et impie contaminantibus: non credendum proprio ingenio, neque cuiuis in rebus, ad fidem pertinentibus.

De sperandis. CAP. VII.

ET quia, ueluti fidelissima comes fidem sequitur spes, proponet Ecclesiasticus orator, speranda esse omnia bona a clementissimo cæli, et terræ domino, et a patre misericordiarum Deo: habere nos aduocatum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, *cuius pretiosissimo sanguine, a Sathanæ tyrannide liberati sumus: illum pro nobis orare: sperandam esse uitam æternam, eamq. auide expectandam, hoc est uisionem, et fruitionem Dei, consortium Angelorum, et uitam periculis, et molestijs omnibus uacuam, cælestibus, et perpetuis bonis abundantem. Moneat sæpe populum Dei, ne inani quadam fiducia se ipse fallat: sciat misericordem esse dominum, et iustum: fidem operibus comprobandam esse: non esse Deum ad iracundiam prouocandum, a quo innumerabilibus affecti sumus beneficijs, et in quem speramus. Quod si quempiam desperare suspicabitur, Beati Augustini uerba poterit commemorare: Respira peccator, respira, ne desperes: spera in eum, quem times: confuge ad eum: inuoca opportune, quem superbe prouocasti.*

De timendis. CAP. VIII.

PORRO cum nemo sciat odio an amore sit dignus; et in multis bonarum omnium rerum auctorem, et principem Deum offendamus; proponet initium sapientiæ esse timorem Domini: Deum timendum, quia, cum omnia ex nihilo fecerit, uno etiam ictu eadem potest ad nihilum redigere: timendam æternam pænam; timendum horribilem illum Iudicij diem, timendos, aut potius horrendos cruciatus Inferni: horribilem diem iudicij proponens, Dauid uerba proferet, Deus manifeste ueniet: Deus ipse, et non silebit: ignis ante ipsum præibit, et tempestas ualida: aduocabit cælum desursum, et terram discernere populum suum: et omnes, nulla habita nobilitatis, aut scientiæ ratione, stabimus ante eius tribunal: ubi eum, quem patrem misericordiæ noluimus agnoscere, iustum iudicem experiemur. Dicat eo die, ut S. scribit Augustinus, futurum fletum, et stridorem dentium, ululatum, et lamentationem, et tardam pænitentiam: quando mouebuntur fundamenta montium, et ardebit terra, usque ad inferos deorsum: quando, teste Apostolorum principe, cæli ardentes soluentur, elementa ignis ardore tabescent: quando, ut Saluator noster ait, etiam uirtutes cælorum mouebuntur: quando Sol oscurabitur, Luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo. Ostendet deinceps nihil Inferno esse posse horribilius; horribilem esse priuationem uisionis Dei: illum esse lacum sine mensura, profundum sine profundo, plenum ardore, et fætore intolerabili; nullum esse ordinem, horrorem æternum, nullam spem boni, nullam mali fugam.

De vitandis. CAP. IX.

CVM autem sapientia christiana in hoc maxime consistat, ut declinemus a malo, et faciamus bonum; dicet in primis uitanda esse peccata, quia nos separant a fonte bonitatis

Deo: quia filios Dei adoptiuos, filios lucis, seruos sathanæ, et filios tenebrarum faciunt: quia distinguunt nos a Christo, qui est uia, ueritas, et uita: quia uarijs modis animam nostram excruciant. Originale, quod a primo humani generis parente Adam in posteros transfusum est, per Baptismum tolli; uitari quidem non posse; sed Dei misericordia sublatum sæpe commemorandum; ut calamitatis memores, et diuini beneficij, humilitatem diligamus. De mortalibus peccatis, quoniam sæpe fit mentio, dicet eo nomine appellari, quia mortem inferunt animæ: notissimum esse illorum numerum; septem esse peccata capitalia, ad quæ cætera referuntur, Superbiam, Auaritiam, Inuidiam, Luxuriam, Gulam, Iram, et Accidiam.

De vitanda Superbia. CAP. X.

ADDET Superbiam esse appetitum excellentiæ inordinatum, quæ in his est posita, cum bona, quæ habemus, non accepta Deo referimus, eaq. iactamus tanquam nostra; uel bona, quæ non habemus, nobis arrogamus. quo in genere collocantur hypocritæ. Contra hæc genera superbiæ ita dicet Ecclesiasticus orator, ut ostendat nihil tam aduersari Christo, nihil minus conuenire naturæ hominis, quam superbiam: Addet ubi est superbia, ibi esse stultitiam: superbum, qui ob uirtutes extollitur, de uita mori, de sanitate ægrotare, de medicamine perire, ut S. scribit Gregorius. Auditores uerbi Dei hortabitur, ut infirmitatem humanam sæpe considerent, et uarias huius uitæ calamitates sibi ante oculos ponant; ut ad humilitatem, reliquarum uirtutum fundamentum, excitentur.

De vitanda Auaritia. CAP. XI.

VITANDAM esse auaritiam facile erit ostendere, cum auaros ualde detestetur Dominus; cum miserrimam uitam ducant,

ducant; cum cæteris hominibus, sibi ipsis in primis, sint odiosi. Dicet immoderatam hanc habendi cupiditatem uitandam; Domini esse terram, et plenitudinem eius; diuitias in usu, non in possessione consistere; iniquorum hominum usurpationes appellandas; diuites esse ministros Dei, dispensatores, et œconomos, earum potissimum rerum, quas in unum coaceruari permittit, ut fidelitatis quorundam periculum faciat; alios eleemosynis in cælestem hæreditatem recipiat, alios ob tenacitatem æterno supplicio puniat. quo loco uerba Iacobi Apostoli, si placebit, explicabit: Agite nunc diuites, plorate in miserijs quæ euenient uobis: et addet uerba S. Augustini; Væh qui augent res perituras, unde æternas amittant.

De vitanda Inuidia. CAP. XII.

INVIDIAM filiam superbiæ esse nemo dubitat: cum enim doleat inuidus bonis alienis, ideo dolet, quia se illis dignum putat. Dicat Ecclesiasticus orator nihil boni in se habere inuidiam, nisi quod cruciat inuidentes: quod etiam Isocrates scripsit. Addet esse Sathanæ machinam, qua subdolus ille animarum nostrarum hostis, humano generi insidiatur, præstantia etiam ingenia inuadit, uirtutes contaminat, et rectam uiuendi rationem peruertit. Eius sororem esse detractionem, uitium grauissimum; quod oratorio quodam modo peius esse dixit Sanctus Chrisostomus, quam corpus occidere: occidit enim detractor, et quasi dilaniat famam, quæ pluris est facienda, quam uita.

De vitanda Gula. CAP. XIII.

DE VITIO Gulæ, quæ est inordinatus appetitus cibi, cum dixerit, inculcet edendum, ut uiuamus; non uiuendum, ut edamus: paucis minimisq. contentam esse naturam: plu-

res iugulasse gulam, quam gladium: saturitatem fame peiorem, ut sanctus probat Chrisostomus: gulam matrem incontinentiæ, et altricem ægritudinum, ac multarum miseriarum esse. Acrius reprehendet pauperes, qui gulæ indulgentes, rem familiarem minuunt.

De vitanda Ira. CAP. XIIII.

IRAM uitandam probabit, quia est comes stultitiæ, inimica consilij, mater pœnitentiæ, nutrix iurgiorum, inimicitiarum, et uariarum calamitatum: audienda illa uerba Beati Augustini: Volo uos irasci, ut non peccetis, ut autem non peccetis, quibus debetis irasci, nisi uobis? quid est enim homo pœnitens, nisi homo sibi iratus?

De Accidia vitanda. CAP. XV.

CVM uero de accidia uitanda sermonem habebit Ecclesiasticus orator, eam originem uitiorum nominabit, pusillanimitatis, atque etiam malitiæ magistram: eos, qui hoc laborant uitio, indignos esse nomine hominis; cum ad agendum, et contemplandum, ac etiam ad laborem procreati simus: nihil magis studere Sathanam, quam ut animas otiosas inueniat, eas ut in suam tyrannidem redigat.

De vitandis peccatis alienis. CAP. XVI.

COMMEMORABIT sæpe maxime fugienda illa peccata, quæ aliena uocantur: propterea quod, cum ab alijs committantur, nobis etiam nocent: quoniam aliqua ratione illis communicamus. Porro communicant peccatis alienis homines, consilio, iussione, consensu, irritatione, laudatione, siue adulatione, reticentia, conniuentia, rei alienæ participatione, praua facti

defensione. Peccant consilio, qui alicuius sceleris committendi sunt, uel auctores, consultores, uel ministri, ut fuit Achytophel: quo improbo et infælici consiliario Absalom in patrem coniurando, usus est. Consilio peccant, qui in perniciosa arte uersantur, hortantes homines ad singulare certamen, ad ulciscendas iniurias; cum nulla possit esse nobilior uictoria, quam seipsum uincere: eadem ratione peccant, qui hortantur alios ad libidinem, ut lenones, uilissimum hominum genus. Iussione peccauit David, homo aliàs secundum cor Dei, cum iussit Vriam interfeci, ut eius uxore potiretur. Consensu peccauit Pilatus in nece Domini nostri IESV CHRISTI. Peccant innumerabiles homines, putantes, quia ipsi a peccatis se abstinent, etsi alijs consentiant peccantibus, minime peccare. Quare illæ audiuntur uoces: Sua res agitur, nihil ad me, ipse uiderit. Docebit Ecclesiasticus orator, peccare eum qui quantum in se est, peccantibus non aduersatur. Irritatione peccauit uxor Beati Iob, cum ei uarijs calamitatibus oppresso dixit: Benedic Deo et morere: in quod peccandi genus in primis solent incidere irrisores, qui deterrendi sunt, exemplo illorum, qui Elisæum prophetam irriserunt. Adulatione maxime peccatur, nam dulce uenenum est adulatio: et nihil mortalium auribus accidit suauius, quam propriarum laudum cantilena: ita ut interdum eas laudes admittant homines, quibus se indignos faterentur. Late patet hoc uitium in Rebuspublicis, et in opulentis ciuitatibus, in primis in aulis principum: et utinam inter sacerdotes, et clericos non reperirentur multi, ad assentationem eruditi; qui Præpositos, et Episcopos suos, cum quibus libere admodum deberent agere, plerunque non deciperent; blanditijs et adulationibus, eorum sæpe zelum non retardarent. Reticentia peccant, qui cum reprehendere deberent, tacent: non obseruant uerba illa prophetæ, Clama ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum. qui locus etsi ad eos spectat

nitenti animo in peccatis perseuerare: quæ acriter reprehendet; quandoquidem neque in hoc sæculo, neque in futuro remittuntur. Clamare quædam peccata in cælum commemorabit: Homicidium uoluntarium; uitia contra naturam; pauperum, uiduarum, atque pupillorum oppreßionem; et mercedem operariorum defraudatam. Quæ peccata maxime detestans, ea forma dicendi utetur, ut piorum hominum, præsertim uirginum animi, uerborum obscænitate non offendantur. qua de re agemus cum de elocutione tractabimus. Vitanda esse dicet leuia, et uenialia peccata, quatenus humana infirmitas patitur, ne paulatim in mortalia incidamus: addet uitandam esse improborum hominum consuetudinem, nam fieri uix potest, ut qui tangit picem, non inquinetur ab ea: uitandam curiositatem, impudentiæ sororem, uanitatis nutricem: uitanda theatra, publica spectacula, frequentia conuiuia: inde enim sæpe deteriores homines, atque etiam interdum tristiores solent recedere. Vitandum, de seipso loqui, nisi neceßitas cogat, ut fecit interdum B. Paulus ad Corinthios: Ministri sunt, et ego, ut minus sapiens, dico plus ego.

De agendis. CAP. XVIII.

QVIA non satis est declinare a malo, sed christianum hominem oportet agere bonum: hortabitur Ecclesiasticus orator fideles Christi, ad agenda ea, quæ lex iubet: legem dictam esse explicabit ab eligendo, eo quod eligant homines quid agendum sit, aut a ligando, ne tanquam furentes præcipites ruamus. Hanc legis distinctionem interdum afferet, sumptam ex scholasticis doctoribus: legem aliam esse diuinam, aliam humanam. Diuinam, (ut interim æternam omittamus, quæ est summa ratio, cui semper obtemperandum est, cuius quosdam ueluti radios mentis lumine cernimus) distinguat in naturalem, et positiuam: naturalem esse

recti-

Dei, institutum est ab eodem D. Iesu Christo sanctum Matrimonium. Qua de re sæpe sermonem habebit, cum nihil poßit esse populo Christiano utilius, quàm scientia, et rectus usus sanctißimorum sacramentorum: quo usu, præsertim sanctißimæ Eucharistiæ ille excitatur ad cognitionem innumerabilium beneficiorum, quæ benignßimus pater Deus in nos contulit, et confert quotidie: excitatur ad humilitatem, cum per uisibilia elementa, tantam tamq. magnam gratiam se consequi animaduertit. Ad gratiarum etiam actionem inflammari potest, cum sanctißima sacramenta, ueluti pignora salutis suæ, sibi a D. N. Iesu Christo relicta, se habere intelligit. Dicet tria e septem esse eiusmodi, ut non nisi semel suscipi, sine maximo scelere poßint, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sacrum. Pœnitentiæ, et sanctißimæ Eucharistiæ frequentiam, esse fructuosißimam, et maxime commendandam, rationibus multis, atque etiam sacræ scripturæ testimonijs, poterit comprobare. qua de re fortasse alio loco pluribus agemus. Ad susceptionem autem Extremæ unctionis, ingrauescente morbo, auditores hortabitur: dicetq. non modo animæ, sed et corpori magnum afferre solatium, atque etiam remedium: cauendum maxime, ne sine hoc sacramento ex hac uita migremus: et ualde optandum, atque, quantum in nobis est, curandum, ut mentis compotes, in ultimo illo agone, salutari hoc medicamento recreemur: inde, siquis sacramentum illud postulet, rectæ conscientiæ indicium sumi interdum commemorabit. Verba Apostoli, cum de matrimonio aget, explicabit, Melius esse nubere, quam uri: uituperari non posse qui secundis, aut tertijs etiam nuptijs, libidinis ardorem student cohibere: ualde uituperandos illos, qui, homines remedio, a Christo medico sibi relicto utentes, importunis clamoribus, et pulsationibus, quod quibusdam in locis, non sine magna piorum hominum offensione, fit, perturbant: laudandos, ut existimauit idem Apostolus,

qui mortuis uxoribus, alias non ducunt, modo abstineant ab illecebris uoluptatum, et Deo seruiant, eiusq. ministros adiuuent. Hæc pauca, quæ attigimus, explicabit, cum de euangelica lege loquetur Ecclesiasticus orator: deq. numero, effectis, differentijs, ritibus, et ministris sacramentorum, prout locus et tempus postulare uidebuntur, ea, præ manibus Catechismum Romanum in primis habens, dilucide exponet, quæ in sanctorum Theologorum, præsertim scholasticorum, qui patrum sententias diligentissime examinauerunt, libris reperiuntur. Monemus etiam oratorem Ecclesiasticum, cum de hac lege Euangelica sermonem habebit, caueat, ne tam multa de Dei misericordia dicat, quin diuinam etiam iustitiam commemoret: de excellentia fidei non tam multa loquatur, quin utilia, et necessaria opera ad salutem explicet. Instituendas ita actiones hortetur, ut charitate condiantur. Doceat Deum, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligendum: deinde propriam animam, et animam aliorum; tertio corpus proprium; quarto corpus proximorum: Decalogum, qui est compendium optimarum rerum, quæ agendæ in hac uita sint, seruandum. Cum autem de lege positiua dixerit, multa de auctoritate summi Pontificis Christi Vicarij, et Petri legitimi successoris poterit in medium afferre: de qua nos alio loco dicemus: et ostendet, parendum canonicis legibus: quia cum diuina consentiunt: item ciuilibus, si ab eadem diuina lege non discrepent. Docebit postremo agenda omnia, quæ cum uirtute fiunt: quæ autem sint præcipuæ uirtutes christianæ, statim sumus dicturi, quia de genere Demonstratiuo tractare iam incipimus.

De Genere demonstratiuo, et descriptionibus quarundam christianarum uirtutum. CAP. XIX.

H*Is explicatis, quæ ad genus Deliberatiuum pertinent, consequens est, ut de genere Demonstratiuo agamus:*

quod

quod in laudatione, et uituperatione consistit. In hoc Demonstratiuo genere sæpissime uersati sunt sancti uiri, ut laudantes seruos Dei, ipsi enim soli digni sunt laude, cæli, et terræ Dominum, et omnium bonorum principem, et largitorem laudarent, atque populos ad eorum imitationem excitarent: tyrannos uero, Diaboli ministros, et peruersos homines uituperantes, ad gratiarum actionem, ijs e medio sublatis, inuitarent: ut fecit Sanctus Gregorius Nazianzenus in orationibus contra Iulianum. Cum uero in christiana republica nihil sit laudabile, quod a religione non manet, et uera non sit conditum pietate; dicamus quid sit religio, et quid pietas, et rationem inueniendarum propositionum, quæ ad ueram laudem pertinent, proponamus. Est igitur christiana religio, in qua nasci maximum Dei beneficium est, dicta a religando, quia quodam uinculo, hoc est Christo, patri et principi rerum omnium Deo iuncti sumus, et religati: est debitus cultus, quem Deo tribuimus, fide, spe, et charitate: est Christi imitatio, et perfecta iustitia, et recta amoris regula. Pietas, est obsequium, quod exhibetur Deo primum, deinde alijs, quos nobis Deus uenerandos proposuit: ut sacerdotibus, parentibus, regibus, principibus, præceptoribus, natu maioribus. Christianas uirtutes describimus crasso quodam modo, non ut scholastici solent. Fides est habitus, quo firmiter assentimur reuelatis a Deo, porta salutis, religionis fundamenntum. Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, iucunda uitæ spiritualis socia, et optima in rebus aduersis consiliaria. Charitas est finis præcepti, forma uirtutum, et uitæ christianæ ueluti anima: patientiæ, humilitatis, et omnium bonorum magistra: hæc est uia Dei ad homines, et uia hominum ad Deum, causa, et mater omnium uirtutum, quæ si desit, frustra habentur cætera: si autem adsit, habentur omnia: ita ut, qui hac nobilissima uirtute sit ornatus, in maxima paupertate sit di-

ues, et omnibus commodis abundet: quia in Deo manet, et Deus in eo. Fidei, et ſpei nutrix, ac charitatis comes, eſt oratio, quæ ſic deſcribi poteſt; eleuatio mentis in Deum, colloquium cum Deo, clauis, qua aperitur cælum, telum, quo Sathanæ inſidijs reſiſtimus. Deuotio, eſt prompta uoluntas ſeruiendi Deo, gratiſsimum uoluntatis noſtræ ſacrificium, religionis filia, bonarum omnium actionum altrix. Prudentia eſt cognitio rerum uitandarum, et expetendarum, ut ſcribit Diuus Gregorius, induſtriæ mater, ſalutarium illorum præceptorum magiſtra: Noſce te ipſum: Ne quid nimis: Auream dilige mediocritatem. Iuſtitia eſt conſtans ac perpetua uoluntas tribuendi unicuique quod ſuum eſt; Deo cultum, ſanctis uenerationem, ſacerdotibus, et parentibus obedientiam, et obſeruantiam; regibus debitum honorem, omnibus mutuum amorem: eſt uirtus quæ magis alijs, quam ſibi prodeſt, ut Sanctus ſcribit Ambroſius. Iuſtitiæ pars eſt chriſtiana liberalitas, quam eleemoſynam dicimus, qua Deo fœneramur, et peccata noſtra redimimus. Fortitudo, eſt firmitas animi cōtra moleſtias, ſæculi laborum ſuſceptio, malorumq. perpeſsio: eſt habitus, quo præditus qui eſt, nihil niſi turpia timet, tolerat fortiter aduerſa, fert moderate proſpera, mortem etiam quando opus eſt, contemnit: eſt uoluntatis robur, uirtutum tutela, uitiorum expultrix, periculorum ſapiens expugnatrix. Præſtantiſsima autem chriſtianorum fortitudo, eſt Martyrium, quod quidem eſt delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, uerus patientiæ magiſter. Temperantia, eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos animi impetus, firma et moderata dominatio: eſt amor, ſeſe integrum Deo, et incorruptum ſeruans. Temperantiæ comes, eſt Ieiunium, quod eſt optima cuſtodia corporis, tuta habitatio, fortium uirorum munimentum, egregius in bello fortitudinis, in pace quietis magiſter. Hæ uero Temperantiæ ueluti filiæ a ſanctis uiris

laudan-

laudantur, pudicitia, castitas, et uirginitas. Pudicitiam, Tertullianus sic describit; florem morum, honorem corporum, decorem sensuum, integritatem sanguinis, fidem generis, fundamentum castitatis. Castitatem uero dicimus munimen sanctimoniæ, et sinceritatis indicium. Virginitas, ut Cypriani utamur descriptione, est flos Ecclesiastici germinis, decus et ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, et honoris opus integrum, et incorruptum, Dei imago resplendens ad sanctimoniam domini, illustrior portio gregis Christi. Perseuerantia, est nobilissima christianorum uirtus, summi regis filia, constantiæ nutrix, soror patientiæ, interioris pacis custos, sine qua in cælestem patriam nemo ingreditur. Elementum autem omnium christianarum uirtutum est humilitas, sine qua nemo in christiana philosophia potest proficere. Humilitas, est quædam inclinatio mentis coram Deo: est ars cognoscendi, et spernendi semetipsum, et res humanas, & inanem gloriolam fugiendi, alios sibi præferendi, et fidelissima sapientiæ ministra: non enim potest quis dici sapiens, nisi sit humilis. hanc uirtutem sequitur magnanimitas christiana, quæ in remittendis iniurijs, atque etiam fugiendis honoribus est posita. Perspicuum est autem omnes actiones, quæ ex his uirtutibus proficiscuntur, esse laudandas, quæ ex contrarijs, uituperandas: sed eæ magis laudantur, quæ nos Deo magis coniungunt, eiq. nos similes faciunt: ut opera charitatis, et misericordiæ: item quæ gloriam Dei magis augent, ut Martyrium, et similia.

***Quod parce, et raro Ecclesiasticus orator laudat eos, qui uiuunt; et unde laudis argumenta ducantur.* CAP. XX.**

VIVENTES *Ecclesiasticus orator perraro laudat, aut quia ignoratur, laude ne an uituperatione quis dignus sit: cum nemo possit affirmare aliquem Deo esse gratum: aut quia,* dum



dum uiuimus, domesticis, et acribus inimicis oppugnamur, et incertus est pugnæ exitus: aut cauet hoc maxime, ne dulce uenenum exhibens uiuentibus, noceat, et turpem adulationis notam subeat. In funere laudat. Sanctissimorum hominum extant orationes, cum Platonis Menexeno, cum Periclis illa oratione, quæ legitur apud Thucididem, atque etiam cum Isocratis illa in laudem Euagoræ cõferendæ; et præsertim sanctissimi illius uiri, quem nobis Theologum eloquentissimum, et Demosthenem christianum licet appellare, Gregorij Nazianzeni: leguntur aliquæ huius generis in laudem Athanasii, Basilij magni, et aliorum: ex quibus colligitur, laudum genera ex tribus potissimum temporibus sumi posse. Quorum primum quidem est illud, quod eius, quem laudamus, ortum præcessit: alterum, quo ille uixit; tertium, quod mortem est consecutum. primo autem tempore considerantur patria, parentes, maiores, quorum aut nobilitati respondere, aut obscuritati lucem afferre pulchrum est: huc pertinent etiam oracula, et responsa diuina, a quibus laudari possunt Isaac, Iacob, Ioannes Baptista, multiq. alij uiri sanctissimi, quos parentes assiduis precibus a Deo impetrauerunt: et de quibus, antequam nascerentur, multa præclara prædicta fuerunt. B. Gregorius Nazianzenus elegantissime Basilium laudat, a patria illis uerbis: Cum permulta nobis laudum argumenta, quod ad patrem attinet, ex paterno latere pontus suppeditet: et quidem nequaquam minora priscis oraculis, quibus historicorum, et poetarum pleni sunt libri: tum etiam multa subministrat patrium solum hoc meum, dignitate illustris Cappadocia, non minus uirorum sobolé præstans, quàm equorum. Altero tempore considerantur uirtutes, quibus præditus fuit, doctrina, munera, uel publica, uel priuata illis commissa, res gestæ, familiaritates, amicitiæ, et in primis ea, quæ quis in ultimo huius uitæ actu egerit: ubi loco a consentaneis uti poterit orator, et

osten-

ostendere eum, qui laudatur, digna patria sua, digna maioribus suis, digna educatione, rebus ante gestis, fecisse, et omni tempore uirtutum exempla dedisse: non ut ea ratione inanem gloriolam aucuparetur, sed ut Dei gloriam, quantum in se esset, augeret, et sathanæ tyrannidi se opponeret: quibus in rebus exponendum est inprimis, quid supra expectationem hominum ab eo uideatur factum. Maxime autem ad laudem pertinet cùm quis aut solus, aut cum paucis, aut primus aliquid præclare gesserit: qua de re Saluator noster maxime laudari debet, cui soli præstantissimum illud Iesu nomen, quod est super omne nomen, et in quo omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, et infernorum, conuenit: qui solus ex uirgine natus est, solus propria uirtute resurrexit, nunquàm moriturus. item B. Virgo Maria, quòd sola filium Dei genuerit, quòd sola ante partum, in partu, et post partum uirgo extiterit: quòd sola plena gratia, mater misericordiæ, regina cæli, domina angelorum appelletur. S. etiam Ioannes Euangelista, cui soli concessum est, ut Christus eum dilectum appellaret; et super eius pectus in cœna recumberet: dulcissima illa uerba audiret: Fili ecce mater tua. Non potest reperiri homo, de quo dici possit: hic solus huius uirtutis præbuit exemplum, cum omnium uirtutum exemplar præbuerit Christus homo et Deus. Pauci fecere quod Stephanus, qui orauit pro ijs, a quibus lapidabatur. pauci relictis imperijs, in monasteria se abdiderunt, ut superioribus annis fecit Carolus V. maximus imperator. pauci, immo paucissimi Pontificatui cesserunt, ut fecit Cælestinus, a quo Cælestinorum monachi nomen habuerunt. qua de re, et si a nonnullis, metientibus omnia huius uitæ commodis, et splendoribus non sit laudatus, tamen eius animi celsitudo est laudanda: quandoquidem ea, quæ tantopere ceteri admirantur, hic uir eximius, desiderio æternæ gloriæ, contempserit: et propriæ saluti consulens,

parere potius, quod tutius est, quam imperare maluerit. atque is merito, ob alias eximias uirtutes, sanctæ Ecclesiæ iudicio, inter sanctos est relatus. Tertio loco considerantur honores, post mortem tributi, dolor, luctus, squallor: quem locum præclarissimè tractat sanctus Gregorius Nazianzenus, Basilium laudans. Efferebatur, inquit uir sanctus, sanctorum manibus elatus, atque omnes operam dabant, partim ut fimbriam arriperent, partim ut umbram, ut feretrum, quo sanctus portabatur, uel solum tangerent. quid enim illo corpore sanctius? aut pretiosius? et paulo post: Plena erant fora, porticus hominum illum prosequentium, præeuntium, sequentium: multa millia hominum omnis generis, et ætatis, ante eum diem incognita, psalmodiæ luctu impediebantur, ac uincebantur: patientia doloris magnitudine frangebatur; certabant nostri cum cæteris: cum Ethnicis, cum Iudæis, cum aduenis, atque uicissim nobiscum, utris uberiores lachrymæ uberiorem utilitatem afferrent. Comparationibus etiam usi sunt sancti homines ad laudandum: ut idem fecit Gregorius Basilium laudans, qui patribus utriusq. testamenti, Ioanni etiam Baptistæ, et Apostolis, eum eleganter admodum comparat. Locum illum quem, proposuit Aristoteles, a uicinitate uitiorum, et uirtutum, tanquam inutilem, et perniciosum Ecclesiasticis oratoribus, reijcimus: nam cum nihil a christiana religione sit alienius, quam mentiri: qui meticulosum diceret cautum; callidum, prudentem; furiosum, apertum; stupidum, mansuetum; is non christianus orator, sed sathanæ potius minister, et seductor esset dicendus. Magnum etiam momentum inesse idem grauissimus philosophus scripsit, ubi quisque laudetur, quòd nobis non magni faciendum putamus: ubique enim, et apud omnes ea tantum laudamus, quæ cum pietate coniuncta sunt, ut orbis christianus una ciuitas esse uideatur.

Quod

Quod Ecclesiastici oratoris amplificatio sit multum diuersa ab amplificatione, qua usi sunt huius sæculi oratores. CAP. XXI.

CVm omnis laus, quæ ab Ecclesiastico oratore sanctis uiris tribuitur, huc potißimum spectet, ut auditores ad eorum imitationem impellantur: oratoris officium erit sæpe in hoc Demonstratiuo genere amplificationes adhibere, non eam ob causam, quam Isocrates professus est; qui ad oratorem dicebat pertinere, parua extollere, et magna efficere minima dicendo; sed ut res cognoscatur esse tanti momenti, quanti est re uera: quod nihil est aliud, quam homines ad sinceritatem iudicij reuocare. Amplificationes autem dicuntur, cum argumenta ipsa, cum uerbis, tum rebus ad auditores magis afficiendos dilatantur, quæ ex eisdem locis, unde etiam laudationes ipsæ, sumi possunt. Est pulchra illa amplificatio B. Bernardi ad Eugenium Pontificem, ab ipsius Pontificis persona sumpta; Tu es sacerdos magnus, et Pontifex summus: tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedec, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus, tu es cui claues redditæ sunt. S. Maximus episcopus de sancto Ioanne Bastista uerba faciens, amplificatione his uerbis usus est: Meritò illum præcipuo honore ueneramur, qui speciali quadam gratia redemptorem mundi nouißmus prophetauit, ut osten deret eum primus. hic enim solus est prophetarum, qui D. N. Iesum Christum, quem alij in longa tempora futurum præsciuerunt, proprijs oculis uidere meruit, et annunciare præsentem: hic est ille, quem, inspirante Deo, præscius annunciauit Isaias, dicens: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini: quam congrue, fratres charißimi, B. Ioannes prædicatus est uox, qui cælestis uerbi, et præco mittebatur, et testis? hic est ille, cuius per Angelum Gabrielem prænunciatur

natiuitas, et nomen, et meritum: hic est, qui iudicio cælestis sententiæ, cunctis mortalibus antefertur, dicente domino: Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. S. Ioannes Chrysostomus de beatis Apostolis Petro, et Paulo loquens, præclarissima utitur amplificatione, illis uerbis: Ego, et Romam propterea diligo, tametsi aliunde illam queam laudare, nempe a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, ab imperio, a diuitijs, a rebus in bello fortiter gestis, sed dimittens omnia ob id illam beatam prædico, quòd erga illam sancti Petrus, et Paulus dum uiuerent, adeo fuerunt beneuoli, adeo illam amauerunt, et postremo in ea uitam finierunt, quorum sancta corpora ipsa possidet, et propterea ciuitas illa hinc facta est insignis magis, quam ab alijs rebus omnibus, et tanquam corpus magnum, et ualidum duos habet oculos illustres, sanctorum uidelicet horum corpora: non ita cælum splendescit, quando radios Sol demittit, quemadmodum Romanorum urbs duas illas lampades ubique terrarum effundens: hinc rapietur Paulus, illinc Petrus: considerate, et horrete, quale spectaculum uisura sit Roma; Paulum uidelicet, è Theca illa cum Petro surgentem in occursum domini sursum ferri: qualem rosam Christo mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur Vrbs ista? qualibus catenis aureis cincta est? quales habet fontes? propterea admiror hanc Vrbem non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam rem, sed propter columnas illas Ecclesiæ: quis mihi nunc dabit circumuolui corpori Pauli? affigi sepulcro? uidere puluerem corporis illius, quæ adhuc Christo deerant, adimplentis? stigmata illius gestantis? Quoniam uero contrariorum eadem est ratio ad amplificandum, simili modo in uituperatione eædem regulæ sunt adhibẽdæ. Idem S. Ioannes Chrysostomus, de decollatione sancti Ioannis Baptistæ in mulierem malam inuehens, pulcherrimam adhibet amplificationem: Nulla in hoc mundo bestia similis est mulieri

malæ:

malæ: quid inter quadrupedia animalia leone ſæuius? ſed nihil ad hanc: in ſerpentibus quid dracone atrocius? ſed ne hoc quidem cum muliere mala, et linguoſa conferri poteſt: nam et leo, et draco in malo inferiores ſunt. Atteſtatur huic ſermoni meo ſapientiſsimus Salomon dicens: Cohabitare leoni, et draconi melius eſt, quam cum muliere mala, et linguoſa; quod amplificando multis uerbis confirmat, et poſt ait: Nulla enim malitia æmulari poteſt mulierem malam: atteſtatur iterum huic uerbo meo ſapientiſsimus Salomon; quia non eſt caput ſuper caput ſapientis, et non eſt malitia ſuper malitiam mulieris. O malum ſummum, et acutiſsimum Diaboli telum mulier: per mulierem Adam in paradiſo proſtrauit, et de paradiſo exterminauit: per mulierem mitiſsimum illum Dauid, ut necem militis ſui innocentis Vriæ Ethei, dolo mandaret, armauit: per mulierem ſapientiſsimum Salomonem in præuaricationis ſacrilegium præcipitauit: per mulierem fortiſsimum Sampſonem illuſum, raſumq. excæcauit, ut, et uirtute, et crinibus, et decoris oculis ſpoliatus, ludibrioſoret hoſtibus, quibus fuerat ante terrori, et cum ijs captiuus moleret, quibus dominabatur inuictus: per mulierem caſtiſsimum illum Ioſeph, uinculis alligatum, detruſit in carcerem: per mulierem illam totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit: Et quid dicam de hominibus? per mulierem angelos e cælo depoſuit, ideſt homines ſanctos, qui ad cælum pergebant: per mulierem cuncta omnino proſternit, et iugulat, omnes interficit, omnes eludit repletos ignominia, et honore uacuos. Id autem pluribus uerbis proſequitur, quæ nimis longum eſſet omnia in medium afferre. Amplificatio etiam oratori Eccleſiaſtico eſt utilis, ac neceſſaria, ut declaret, et ponat ante oculos grauitatem peccatorum, et præſertim eorum, quæ non magna uulgo putantur, ut detractionis, et ſimilium. Sic ponet ante oculos grauitatem blaſphemiæ, nimirium, quia eſt peccatum

contra Deum, contra cæli, et terræ dominum, contra patrem humani generis, a quo innumerabilibus beneficijs affecti sumus; multos esse blasphemos, quia ea, quæ prouidentiæ Dei tribuenda essent, tribuunt fortunæ, quia auctorem rerum omnium Deum non confitentur, quia eius summam sapientiam non agnoscunt; blasphemos maxime ingratos esse; eo peccare grauius, quo ex malitia peccant sine ulla uoluptate, natura humana minime inuitãte. Monerem clericos ut in genere Demonstratiuo uersantes, tractarent locos communes de bono mortis, de contemnenda uita, de maximis, et grauissimis periculis, quibus expositi sumus; et in fine sermonis concluderent beatum illum, qui iam in portum est receptus, commemorantes præcipuas illius uirtutes, ut auditores ad eius imitationem excitarentur. Laudantur angeli ab eorum attributis, quòd Deum intueantur, quòd ei ministrent, quòd æterna illa luce fruantur, quòd sine ullo periculo, et metu in cælesti illa patria cohabitent.

Pauca de Genere Iudiciali. CAP. XXII.

DE Genere Iudiciali multa sæculi rhetores scripserunt, quæ nullam, aut minimam utilitatem clericis, quibus nos potissimum scribimus, possunt afferre: dicemus nos pauca, quoniam in paucis, et admodum raro in hoc genere sanctos patres uersari solitos legimus. Constat autem hoc genus accusatione, et defensione: ideo non accusant clerici, quia humanam infirmitatem, et Dei misericordiam agnoscentes, ante oculos habent correctionem morum, non seueram iustitiam propositam. Permittitur tamen in sacris concilijs sacerdotibus accusare, cum de honore Dei, et de communi populorum salute agitur: in Iudicio autem hæc consideranda atque obseruanda sunt, ut qui accusant, zelo Dei accusent, nullo odio commoti, nulla utilitatis, aut inanis gloriolæ cupiditate adducti:

apud quem accusatur, iudicij auctoritatem habeat: qui accusatur talis sit, ut peruersis suis moribus alios corrumpat; ex quibus colligitur hæreticos clericis, si opus sit, maxime esse accusandos, quanquam in ecclesia Dei hoc tempore huiusmodi disceptationes non admittantur; sed testibus, coniecturis, familiaritate hæreticorum causæ iudicentur. Verum si in aliquo generali concilio, aut prouinciali synodo esset dicendum contra nouarum, et peruersarum opinionum disseminatores, docendum erit castissimos uetustatis limites non esse prætereundos: a sancta matre Ecclesia, Spiritu sancto edocta, nunquam recedendum; eam esse magistram, et arbitram ueritatis, et omnium errorum expultricem; stulti et, impij hominis esse ab ea discedere; grauissimum peccatum esse hæresim, et eo grauius, quòd quamplurimis perniciem afferat, perturbet regna, uastet respublicas, et multa incommoda populo Dei afferat. Cum, quatenus oratori Ecclesiastico satis esse uidebatur, attigerimus; primam Iudicialis generis partem, quæ ad accusationem pertinet, alteram, quæ ad defensionem spectat, aggrediamur: in qua multo frequentius Ecclesiasticus uersatur orator, ut oppressos homines subleuet, innocentesq. defendat. Huius generis est exemplum B. Pauli Apostoli in actis apostolorum, qui cum à quodam Tertullo oratore accusaretur, ueluti seditiosus, et pacis ac quietis perturbator, se ipse coram præside defendit: et breui tempore ostendit falsum esse illud crimen, quod ei erat obiectum. Huius etiam generis exemplum extat apud Tertullianum in illo Apologetico, quod scripsit contra gentes: sic enim probat non esse accusandos, aut odio habendos christianos, tanquam malos. ita enim scribit omne malum, aut timore aut pudore natura perfundit: malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant apprehendi, negant accusari, ne torti quidem facile, aut semper confitentur: certe condemnati mærent, dinumerant in semetipsis ma-

lorum

lorum impetus, eosq. uel fato, uel astris imputant, nolunt enim esse suum, quia malum agnoscunt: christianis uero quid simile? neminem pudet, neminem pœnitet: si denotatur, gloriatur: si accusatur, non defendit: interrogatus, uel ultro confitetur: damnatus, gratias agit: quid hoc mali est, quod naturam mali non habet timorem, tergiuersationẽ, pœnitentiam, deplorationem? quid hoc mali est, cuius rei gaudent? cuius accusatio uotum est, et pœna fœlicitas? Defensiones uero suscipiendæ sunt iustæ pro gloria Dei, aut pro dignitate christiani nominis, ut ille, quem nominaui, Tertullianus fecit. defendenda est Christi D.N. sanctißima religio, et sanctæ sedis Apostolicæ auctoritas, etiam cum uitæ periculo: tueri debet unusquisq. existimationem, et famam suam: calumnijs oppreßis coram Iudice, et ubique locorum succurrendum est. Sed caueat clericus ne crebris defensionibus in multorum animos illabi uelle uideatur, et inanem populi applausum aucupari. Deprecationibus utatur interdum, si is, de cuius salute agitur, multa probitatis, et christianæ pietatis indicia dederit: si semel peccauerit. Cum autem defensio nihil sit aliud, quam depulsio criminis, quod obijcitur: et interdum fieri soleat, ut inopes, et omni ope destituti accusentur: filiorum suorum, eorum scilicet, quos Deus fidei suæ commisit, causas defendat: ostendat falsum esse illud crimen, accusantem malo animo in illum fuisse: non permittendum, ut seruus Dei calumnia opprimatur. Cauendum est maxime sacerdotibus, ne sanctißimis Sacramentis, instrumentis salutis æternæ, ueluti probationibus, ad quempiam uel accusandum, uel defendendum utãtur: quemadmodum siquis affirmet, non esse illum, qui accusatur, proditorem, quia dum propria peccata confiteretur, proditionem illam non est confessus: aut calumniatorem esse illum, qui accusauit hominem, quem ipse scit optimum, cum eum sæpe propria peccata confitentem audierit, qui sic defenderent filios suos, adimerent auctoritatem

tem Sacramento Pœnitentiæ, ei parum illis prodessent. Explicata Ecclesiastico oratori subiecta materia, quam tribus causarum generibus distinguendam demonstrauimus; declaremus quibus rationibus finem propositum idem orator consequi possit.

Quod ut cæteræ artes, sic Rhetorica Ecclesiastica, propria adhibeat instrumenta, quæ sunt Enthymema, & exemplum, item quid sit Enthymema, et à quibus locis ducatur. CAP. XXIII.

NVLLA ars proprium munus obit, neque constitutum sibi finem consequitur, nisi quibusdam proprijs adhibitis instrumentis. Medicus ualetudinem non recuperat, aut conseruat, nisi diæta: quæ est recta uictus ratio, aut medicamento purgante, aut uenæ incisione: nec faber sine malleo ullum opus efficit. ita Ecclesiasticus orator nobilissimo fine non potitur, nisi docendo, mouendo, et conciliando. Porrò autem cum probationibus, hoc est argumentis in primis doceat, dicamus quid sit argumentum. Argumentum est oratio, qua quis rei, de qua dicit, fidem facit. Cicero sic definit argumentum: ut sit probabile inuentum ad fidem faciendam. fides autem fit Enthymemate, et exemplo: quæ oratoria instrumenta, siue machinas, quibus uictoriam consequitur orator, nobis liceat appellare. Enthymema est syllogismus imperfectus. Syllogismus autem, siue ratiocinatio, tribus partibus constat, propositione, assumptione, et complexione: ex quibus si una prætereatur, bipartita fit argumentatio, quæ est Enthymema: ut, liberalitatem esse laudandam si quis probet, quia est uirtus, omittit propositionem, quæ est; Omnem uirtutem esse laudandam: assumptionem, complexionemq. tantum profert; idq. ne tædio auditores afficiat, et multo magis, ne tardo ingenio eos esse uideatur existimare. Ac præterquam quòd ab Ecclesiastico oratore argumentationes adhibentur

tur

tur a causis, principijsq. rem necessario demonstrantibus, ut a uerbo diuino, a sanctis traditionibus, ab auctoritate ecclesiæ, et ceteris, quæ post explicabuntur. is item in dicendo Enthymematibus utitur, quæ sumuntur a signis, et ab ijs, quæ uerisimilia dicuntur. Signorum quædam sunt certa, quædam minime certa: certa signa quæ appellantur indicia, ea dicuntur, quæ rem ipsam necessario consequuntur, ut si probet Ecclesiasticus orator, non esse in his charitatem Dei, qui mortales cum sint, iram seruant immortalem. Signa minime certa sunt, quæ necessario rem non consequuntur: uerbi causa, si quis dixerit infideles eos esse, qui, homines christiani cum appellentur, multis, et uarijs uoluptatibus dediti, concionibus minime intersunt; raro, aut nunquam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumunt. quæ omnia ab incontinentia etiam, non ab infidelitate tantum possunt proficisci. quo loco abstinebit a quadam loquendi forma, qua nonnulli concionatores uti consueuerunt: ut incontinentes, auaros, et ambitiosos improprie, nullam fidem habere affirment. Verisimile est quod plerunq. ita fit, ut uirum bonis parentibus, et catholicis ortum, et in Ecclesia educatum, hæreticos fugere. Vsos autem esse sanctos patres, tum certis, tum incertis signis, tum etiam uerisimilibus eorum libri testantur. In Enthymematibus conficiendis hæc præcepta seruanda sunt, ut nec eas res assumamus, quæ a re ipsa longè amotæ sunt, nec eas, quæ uulgares nimis uidentur, ne passim assumptæ uideantur. qui enim in hæc uitia incidit, nonnihil detrahit existimationi suæ, et alienat a se auditorum animos, qui res friuolas, et admodum uulgares non libenter admittunt.

Quid sit Exemplum, et a quibus locis sumatur. CAP. XXIIII.

E*XEMPLVM est, cum ex aliqua re particulari, rem particularem probamus, et dicitur imperfecta inductio: ut impietatem*

tem superbiæ, auaritiæ, libidinis, uitiorum, et calamitatum omnium altricem esse, Mahumetanæ impietatis exemplo licet ostendere. Quia igitur in concionibus ad populum exempla maximam uim ad persuadendum habent, uerissimum enim est illud quod uulgo etiam dicitur; Exempla plus mouere, quam uerba; exemplis sæpe utetur Ecclesiasticus orator. Caueat tamen ne, dum omnia, quæ dicit, exemplis illustrare nititur, in illud labatur uitium, quod ante ducentos, et amplius annos irrepserat, ut ficta, ridicula, minimeq. uerisimilia recitarentur. Exempla porrò sumenda sunt uera, grauia atque illustria, et in primis a Christo Domino, quem omnium uirtutum exemplar dicimus; cum ita de seipso dixerit: Exemplum dedi uobis, ut, quemadmodum ego feci, ita et uos faciatis. Sacræ litteræ uberem copiam ad res omnes, de quibus apud populum agendum est, exemplis confirmandas suppeditant. Iudith ciues suos, grauissima obsidione circumuentos, atque animò deiectos, exemplis ueterum patrum, ad constantiam adhibendam, et fidem in Deum habendam confirmat. Christus saluator noster prophetarum exemplo, ad tolerantiam nos hortatur: deterret exemplo uxoris Loth ab inconstantia. D. Paulus ab idolatria, fornicatione, murmuratione, ceterisq. uitijs abstinendum docet, recitatis grauissimis pœnis, quibus Iudæi, qui in huiusmodi uitia lapsi fuerant, mulctati sunt. Sanctorum Apostolorum, martyrum, confessorum, ceterorumq. omnium, quos nobis uenerandos, inuocandos, et imitandos S. mater Ecclesia proponit, ualde mouent exempla, eo præsertim tempore, cum illorum sanctorum, quorum exempla sumimus, solennitates celebrantur. Atque id maximam uim solet habere, si eorum, qui eisdem ciuitatibus, ubi sermo habetur, præfuerunt: et quorum gratissima memoria colitur, in medium proferantur facta, aut sententiæ: ut multum ualebit ad persuadendum aliquid, si Mediolani S. Ambrosij præ-

clarum aliquod factum, aut dictum commemoretur. Eadem ratione si Veronæ sancti Zenonis exemplo, et auctoritate, populus ad aliquam uirtutem impellatur. domesticis enim exemplis magis excitamur, et paternis uirtutibus incredibiliter commoueri consueuimus. nonnunquam, raro tamen, ethnicorum, et alienorum exempla in sacris litteris reperiuntur; habentq. si apposite in medium afferantur, magnam uim: propterea quod coniunctam etiam habent eam argumentandi rationem, quæ dicitur, a minori ad maius, ut legimus apud Hieremiam: Transite, inquit, ad insulas Cethim, et uidete, et in Cedar mittite, et considerate uehementer, et uidete, si factum est huiuscemodi, si mutauit gens deos suos, et certe ipsi non sunt dij: populus uerò meus mutauit gloriam suam in Idolum. Christus saluator noster Reginam Sabæ et Niniuitas in exemplum adducit, et illud inculcat: Nonne ethnici hoc faciunt? Diuus Paulus uehementer urget, cum ait: Omnino uidetur inter uos fornicatio, et talis fornicatio, qualis non est inter gentes. Sanctus Basilius uerò ad fratris filios epistolam scripsit, in qua egregie locum hunc tractat, quomodo ex gestis gentilium possit quis exempla ad uirtutem colligere: in sacris litteris exemplis belluarum, et rerum sensus expertium segniores acriter reprehenduntur. Multum mouet locus ille Esaiæ: Cognouit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, et populus meus nõ intellexit: et non minus illud Hieremiæ: Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium domini: in prouerbijs etiam piger exemplo formicæ excitatur: Saluator noster auium, et liliorum exemplo a nimia uictus, et uestium cura, et sollicitudine nos auocat.

Quid

Quid sint loci communes. CAP. XXV.

PORRO autem cum argumenta, aut ex rerum ui, naturaq. ducantur, aut sumantur ab ijs, quæ uidentur extrinseca, quanquam maiorem sæpe uim habeant ad confirmandum: dicamus nos primum de ijs, quæ a re ipsa sumuntur. A rebus ipsis sumuntur, quæ à definitione, partium enumeratione, ethymologia, hoc est notatione uerbi, ab ijs præterea, quæ rem quanque contingunt, et ad eam quodam modo sunt affecta: quorum alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex dissimilitudine, alia ex contrario, alia ex adiunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum: et hi appellantur loci communes, sedes argumentorum, elementa propositionum: sic autem describuntur loci communes; notæ, quarum admonitu, quid quæque res ualeat ad persuadendum, possit inueniri: quos locos quamplurimis exemplis illustrare non esset difficile, sed non admodum utile, et ab instituto opere ualde alienum: paucis exemplis, et illis facillimis contenti, quid singulorum natura sit, clericis declaramus.

Locus à Definitione. CAP. XXVI.

DEFINITIO est, quæ id, quod definitur, explicat quid sit: alio modo, breuis oratio, quæ rei naturam declarat. de qua hoc a dialecticis præcipitur, ut primum rei proximum genus assumatur, deinde ad id differentia adiungatur, quæ rem a cæteris formis, eidem generi subiectis, distinguat, et separet: quæ subtilis definiendi ratio in dicendo non sæpe usu uenire solet, potiusq. quid res sit, descriptione quadam explicatur, quæ aliam in rem non possit conuenire. Vtitur Ecclesiasticus orator sæpe definitionibus a

 sen-

sensibus hominum ductis, interdum autem alienis a uulgi opinionibus, et uulgari loquendi consuetudine, quæ quasi ui expressæ uidentur, et animos hominum uel maxime ducunt, et mouẽt, eæque plerunque ad refellendum, nonnunquam ad confirmandum adhibentur, et ad uincendum ualent plurimum: a sensibus hominum ducta ea est definitio uitæ hominis, quam affert S. Iacobus Apostolus cum dicit: Quæ est uita uestra? uapor ad modicum parens, et deinceps exterminabitur: ab eodem definitur lingua, ut sit ignis, et uniuersitas iniquitatis. Vtitur B. Basilius in oratione contra auaritiam argumento a definitione, quæ uim quasi afferat, et abhorreat ab opinione multitudinis: probat eum fraudatorem esse, qui, quod sibi superest, in pauperes non erogat: deinde in alia oratione ad diuites, in qua eorum excusationem ita proposuit, post argumento a definitione sumpto redarguit: At te ipsum pauperem esse dicis, et ego, inquit, assentior: pauper enim est, cui multa desunt, ut multarum autem rerum indigeas, insatiabilis habendi cupiditas efficit.

Locus a partium enumeratione. CAP. XXVII.

PROXIMA definitioni est partium enumeratio, quæ non solum ad probandum aliquid, uel ad refellendum est utilis, sed etiam ad amplificandum, atque exornandum, cuius rei nobilissimum exemplum est in Ecclesiaste Salomonis ad probandam uerissimam illam propositionem: Vanitas uanitatum, et omnia uanitas. eleganter etiam Hieremias propheta probat in solo Deo gloriãdum, enumeratis rebus, in quibus homines gloriari solent. Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse me, quia ego sum Dominus. Versans Ecclesiasticus orator in illa quæstione, quæ est maximi momenti, et

ſæpe tractanda, mortem non eſſe extimeſcendam, hoc uti poterit argumento: nec naturalem, nec uiolentam, nec glorioſam, nec ignominioſam mortem ſancti martyres, et totius ſanctitatis auctor Chriſtus, ut patri obtemperaret, fugiendam putauit; nulla igitur mors ex timeſcenda eſt.

Locus ab Ethymologia. CAP. XXVIII.

AB ethymologia, hoc eſt a notatione, orator Eccleſiaſticus argumentum ducet: nam cum rerum appellationes partim a natura profectæ ſint, partim lege, et conſenſu hominum confirmatæ, aliquæ Spiritu ſancto dictante impoſitæ, ſingulæ res ſuis proprijs nominibus ita ſunt affectæ, ut earum uis, et natura uocabulis ipſis aliquo modo declaretur. Quare optima ratione ab eo nomine, quo res quæque prædita ſit, argumentum interdum ſumitur. S. Hieronymis ſcribens ad Heliodorum monachum, hoc argumento ſic eſt uſus: Interpretare, inquit, nomen monachi, hoc eſt nomen tuum, quid facis in turba, qui ſolus es? Ex hoc loco ſæpe uerißimam illam ſententiam confirmare poterit Eccleſiaſticus orator, piorum hominum eſſe ſingulis diebus ſanctißimo Mißæ ſacrificio intereſſe, quia Miſſa quaſi tranſmiſſa dicitur, propterea quòd populus fidelis myſterio Sacerdotis, qui, Chriſti perſonam gerens, munere deprecatoris inter Deum, et hominem fungitur, preces, ſupplicationes, ac uota omnipotenti tranſmittit. Miſſa etiam appellatur, quia ſignificat Chriſtum, qui miſſus eſt a patre in hunc mundum, uel Angelum, qui mittitur, ut per eius manus hoſtia offeratur in ſublime altare Domini. Quare ab eo loco ſumere poterit multa argumenta, quibus populum hortetur ad Miſſas, ſingulis diebus audiendas, et dicat illos, qui frequenter ſolent eidem ſacrificio intereſſe, recte educatos, timentes Deum, et bonæ exiſtimationis eſſe conſueuiſſe: illudque conſe-

qui

qui solere, ut eo die, quo pij homines sacris interfuerunt, in negotijs, in quibus uersantur, maiorem animi moderationem, atque etiam æquitatem præseferant, quasi a Christo, cuius sacratissimam passionem recoluerunt, adiuti.

Locus à coniugatis. CAP. XXIX.

SEQVVNTVR ea, quæ rem contingunt, in quibus sunt coniugata, quæ ab uno orta uarie commutantur, quorum usus est frequens: Si christiani sumus, christiane uiuamus. Esaias ita hoc argumento usus est; Fatuus fatua loquetur, et S. Ioannes: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: sicut igitur portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis.

Loci à Genere, et Specie. CAP. XXX.

ARGVMENTVM a genere est illud apud Ioannem Apostolum: Omnis qui peccatum facit, iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas: facilius exemplum afferamus. Virtus est amanda, amanda igitur est charitas: proximi sunt diligendi, ergo inimici diligendi sunt, cum, ut S. scribit Pontifex Leo in sermone de ieiunio, proximi non ij tantum intelligendi sint, qui nobis amicitia, et propinquitate coniunguntur, sed omnes prorsus homines, quibuscum natura nobis communis est. A specie ostendi potest, peccata miseros homines efficere, quia adulterium, homicidium a Deo homines separat, quæ maxima est putanda miseria.

Locus à simili. CAP. XXXI.

SIMILIVM comparatio est admodum frequens, et hunc in modum adhibentur argumenta: ut, morbi corporis grauiores sunt, qui non sentiuntur, ita peccata, quæ contemnuntur: ut

ægra corpora quanto plenius nutris, tanto magis lædis, ut scripsit Hypocrates, ita deteriores efficiuntur, qui impura conscientia sanctißimum Eucharistiæ Sacramentum audent sumere. Elegans, et illustris admodum similitudo est apud Esaiam, qua Deum agricolæ similem dicit: ut enim agricola interdum arat, interdum seminat, interdum excutit, interdum colligit fructus; ita Deus nunc corripit, nunc tuetur, nunc punit, nunc miseretur. Similitudines, quæ ex libro prouerbiorum, et ex sanctis Euangelistis in uniuersum ex sacris literis colligi possunt, afferre, esset hominis abutentis ingenio, et ostentantis non admodum difficilem obseruationem. S. Chrysostomus in oratione de orando Deo, ita argumentum a simili adhibuit; Quemadmodum urbs, quæ mœnibus, et propugnaculis careat, facile in hostium potestatem uenit; ita animam, quæ precibus munita non sit, nullo negotio redigit diabolus in ditionem suam.

Locus a Dissimili. CAP. XXXII.

DISSIMILITVDINES pleræque explicantur in libro prouerbiorum: Iustorum, inquit, semita, quasi lux splendens, præcedit, et crescit ad perfectam diem: uia impiorum tenebrosa. Nos, qui breuitatem habemus propositam, quomodo hic locus a dißimili poßit ad usum reuocari dicamus. Hæreticorum est, ab ecclesia sancta recedere, noua dogmata confingere, doctores scholasticos contemnere; nos catholici Ecclesiam sequi magistram, uetustatis castißimos limites non transire, scholasticos doctores uenerari debemus. Alia etiam ratione: sapientes huius seculi plerunque ita uixerunt, ut eorum uita a præceptis, quæ alios docebant, discreparit: nos qui in christiana, et cælesti philosophia uersamur, demus operam oportet, ut quæ docemus, exemplo, et uitæ sanctitate comprobemus.

Locus

Locus à Contrario. CAP. XXXIII.

SEQVITVR locus a contrario, cuius magnus est usus, siue aliquid confirmare, aut refellere, siue probare, et illustrare Ecclesiasticus orator studeat. Quatuor sunt contrariorum genera; Aduersa, ut Ciceronis uerbo utar, priuantia, relatiua, hoc liceat uti uocabulo ut facilius res explicetur, et contradicentia.

Ab Aduersis.

Ab Aduersis Ecclesiasticus orator sic poterit argumentari: Superbiam peccatorum omnium matrem scimus; humilitatem igitur fundamentum omnium uirtutum amemus. Pax cum immanissimo Turcarum tyranno nec tuta est, neque honesta; bellum igitur iustissimum ab omnibus christianis principibus contra communem hostem geratur. S. Basilius ita eleganter loco a contrario est usus: Haec compara inter se, ut ieiunium ad Deum adducat, ut salutem delitiae adimant: quid Esau profanauit, et fratris seruum effecit? an non esca una propterquam primogenita uendidit? an non Samuel orationis, et ieiunij gratia matri donatus est? Abstinemus ab exemplis, a sacris literis sumptis, quia copia eorum obruimur, et perspicuitati studentes, clericos nolumus uel obscuritate, uel prolixitate fatigare.

A Priuantibus.

A Priuantibus haec est formula: ut, lux caelestis patriae est amabilis, et expetenda; ita tenebrae inferni sunt odiosae, et fugiendae. Misericordes, dicit Dominus, misericordiam cōsecuturos; qui igitur misericordia carebunt, misericordiam nullam consequentur. Quamobrem quodam in sermone S. Chrysostomus ostendit, neminem appellari posse miserum, nisi qui misericordia caret, et animae suae nō est assuetus misereri.

A Relatiuis.

A Relatiuis sic ducitur argumentum: Laudandi sunt, qui discunt ea, quae ad christianam religionem pertinent, multò magis, qui docent:

cent: quod argumentum amplificandum est hoc tempore in Ecclesia Dei, et excitandi sunt auditores ad suscipiendum laborem docendi pueros, ea quæ ad sanctam Christi religionem pertinent. Hic locus explicatus est apud Malachiam illis uerbis: Filius honorat patrem, et seruus dominum suum; si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus?

A Contradicentibus.

Contradicentia, siue contradictoria, quæ latini disparata nominant, sunt: affirmatio, et negatio eiusdem rei de eodem subiecto: quorum alterum ait quid, alterum negat; ut sapere, et non sapere; si hoc est, illud non est; Christum diligit, qui eius præceptis paret; qui non paret, non diligit: qui ex Deo sunt, hoc est, qui Deum patrem agnoscunt, uerba Dei audiunt; qui non sunt, non audiunt; fabulis, theatris libentius intersunt, quam concionibus.

Locus ab Adiunctis. CAP. XXXIIII.

LOCVS uero ab Adiunctis personarum, et rerum, attributa omnia pene complectitur: sic describuntur Adiuncta, quæ cum re sunt coniuncta, ut locus, tempus, uestitus, comitatus, apparatus, colloquia, in incessu uelocitas, rubor, pallor, et cetera, quæ rem magis exprimunt, et actiones, aut meliores, aut deteriores efficiunt. Valebit ad rem illustrandam, et amplificandam hic locus plurimum: uerbi causa, orator reprehendens eos, qui in Ecclesia ambulāt, ita dicet: Quid agitis miseri? domum Dei facitis speluncā; coram rege regum deambulatis attoniti, quasi eum non agnoscatis, partem in aliam oculos uertitis; diebus Dominicis, quibus consideranda sunt innumerabilia, quæ accepimus beneficia, stulti nimium nihil minus cogitatis; genio indulgetis, aleis, iocis, detractionibus, saltationibus dies Deo dicatos consumitis. B. Basilius hunc locum adhibuit

beatitudinis consequendæ uias complectens, est omnium, qui unquam habiti sunt, sermonum pulcherrimus, et fructuosissimus.

Locus à Repugnantibus. CAP. XXXVII.

REPVGNANTIA *sunt, ea quæ neque certa lege, neque ordine inter se differunt; qua ratione a contrarijs, atque dissimilibus discernuntur. Argumenti a repugnantibus talis est forma: Qui diligit Deum, non odit quemquam: si fato omnia fierent, tolleretur liberum hominis arbitrium; laus, pœna, uirtus, uitium, gloria, inania essent nomina: proximus inuidet fratri suo, ergo charitatem non habet: et hoc loco concionatores solent uti tractantes illam sententiam, nomine christianos nos dici, sed mores repugnare nobilissimo nomini, quo nominamur: humilitatis enim, mansuetudinis, obedientiæ, clementiæ, et omnium uirtutum exemplar dedit Christus Iesus, a quo nomen accepimus: nos uolumus haberi, qui non sumus, meliores, doctiores, atque etiam ditiores, quam sumus: turpe putamus non ulcisci iniurias: imperare est iucundissimum. ita etiam poterit argumentari; Qui diligit mundum, nō est charitas Dei in eo, et siquis dixerit, quia diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est. D. Ambrosius usus est hoc loco in sermone de decollatione S. Ioannis Baptistæ his uerbis: Postremo, quod etiam omnes barbari horrere consueuerunt, inter epulas, atque conuiuia, consummandæ crudelitatis profertur edictum; et a conuiuio ad carcerem, et a carcere ad conuiuium, feralis flagitij circumfertur obsequium: et paulo post; Quid crudelitati cum delitijs? quid cum funeribus uoluptati? rapitur ad pœnam propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet uel absolui; perimitur gladio, caput eius affertur in disco: hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas uesceretur.*

Locus a Causis. CAP. XXXVIII.

CAVSA est, cuius ui sequitur effectus: sunt autem quatuor genera causarum, materia, forma, efficiens, et finis, in omnibus rebus tam naturalibus, quam artificiosis, ut alio loco diximus: has quatuor causas facile est reperire. Materia est, ex qua res est. A causa materiali ducuntur ex sacris literis argumenta; In primis quae hominē ad modestiam excitent, ut in Genesi dicitur, hominem formatum esse de limo terrae: quare peccanti Adam ob superbiā Deus obiecit illum reuersurum in terram, de qua assumptus fuerat; quia, inquit, puluis es, et in puluerem reuerteris; et Abraham coram Deo se deiecit, quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cum sim puluis, et cinis: hoc argumento Deus ad misericordiam inducitur: Recordatus, inquit Dauid, quoniā puluis sumus; et Iob: Memēto quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in puluerem deduces me; et Esaias: Et nunc domine pater noster es tu, nos uero lutum; et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes sumus; ne irascaris domine satis, et ne ultra memineris iniquitatis nostrae. B. Basilius in opusculo pulcherrimo, quod inscripsit, Attende tibi, hunc locum sic expressit: Exultas ob diuitias, et ob maiorum tuorum nobilitatem te iactas? et propter patriam, et pulchritudinem corporis? attende tibi ipsi, quod mortalis es, quod terra es, et in terram reuerteris.

A causa formali.

Forma est id, per quod res est. A forma sic elicitur argumentum: Anima praediti immortali cur nostras omnes cogitationes, ac spes collocamus in rebus caducis, ac terrenis? locum hunc explicat praeclare S. Bernardus: O anima insignita Dei imagine, decorata similitudine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, deputata cum angelis, capax beatitudinis, quid tibi cum carne? poterit saepe

orator

orator Ecclesiasticus hac uti argumentandi formula: Omnium uirtutum forma cum sit charitas, enitendum est, ut omnes nostræ actiones charitate informentur.

A causa efficiente.

Causa efficiens est, a qua aliquid est: ut Sol diem efficit. Probat propheta Deum humana curare, argumento sumpto a causa efficiente: Qui plantauit, inquit, aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? apud Esaiam dominus potentiam, sapientiam, bonitatem suam ex creatione mundi probat; ubi pollicetur, se curam habiturum Israelis, propterea quòd eos creasset: Audite, inquit, me domus Iacob, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea uulua; usque ad senectam ego ipse, usque ad canos ego portabo: ego feci, et ego feram; ego portabo, et sanabo. Apud eundem prophetam, se Christo magnam multitudinẽ regeneraturum, hoc ipso argumento ostendit; Nunquid, inquit, ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit dominus: et ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis erò? D. Paulus ad Corinthios scribens, Baptismi uim demonstrat: propterea quòd non ab hominibus, sed a Christo sit.

A causa finali.

Finis est, cuius gratia omnia fiunt. Sic argumentari poterit orator: Homo ad consequendam uitam æternam est formatus; stulti igitur qui in uoluptate, in diuitijs, in honoribus beatitudinem collocant. amplicandus est hic locus, quia inde omnia peccata, omnes etiam calamitates oriuntur: quòd ignoramus, ad quem finem cœli, et terræ Dominus in hanc lucem nos emiserit; nimirum ut ei seruientes, nobis attenderemus, et ad uitam aspiraremus æternam. Propheta ex hominis fine demonstrat, quibus rebus possimus ad uitam peruenire æternam, Quis ascendet, inquit, in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus et mundo corde. Totus liber,

qui

tum eleemoſynarum meritum, et quanta ſit uirtus: certum eſt enim unumquenq. noſtrum animæ ſuæ benefacere, quoties miſericordia ſua inopiæ ſuccurrit alienæ: prompta ergo, et facilis, dilectiſsimi, largitas eſſe debet, ſi credimus ſibi unumquenque id præſtare, quod indigentibus tribuit.

Loci à Comparatione. CAP. XXXX.

COMPARATIONIS *locus uocatur, cum argumentum, aut a maiori ad minus, aut a minori ad maius, aut a pari, ducitur. Libentius ſæpe afferimus, ne res obſcurior fiat, exempla patrum, quam ſacrarum literarum. Huius generis argumento uſus eſt B. Hieronymus ſcribens ad Heliodorum de laude uitæ ſolitariæ, his uerbis: Filius hominis non habet, ubi caput reclinet, et tu amplas porticus, et ingentia tectorum ſpatia metiris. Sic ex hoc loco argumentari poterit Eccleſiaſticus orator. D. N. Ieſus Chriſtus nobis maxima, et grauiſsima peccata, quæ quotidie committimus, dimittit, et nos leuiſsimas fratrum noſtrorum iniurias ferre non poſſumus?*

A minori ad maius.

A minori ad maius ſic argumentari poterit orator. Diebus Dominicis laici ſumunt ſacramentum Euchariſtiæ; cur non presbyteri, diaconi, et ſubdiaconi; aut etiam ſæpius? Hoc argumento ſic uſus eſt Beatus Baſilius in oratione ad diuites: Mare nouit terminos ſuos, nox non tranſgreditur antiquam termini deſcriptionem; at uero auarus non ueretur tempus, non ſtatuit terminum, non concedit conſequentias ſucceſsionis; ſed ignis uiolentiam imitatur, omnia corripit, omnia depaſcitur.

A Pari.

Parium comparatio eſt æqualis; ut, paſtores conſulunt ſaluti ſui

litterarum testimonio, ueluti oraculo, utetur Ecclesiasticus orator, inter dum excitans populum ad frequentiam sacramentorum; ubi argumento sumpto a definitione, ab ethymologia, a fine, ab efficiente, hortatus fuerit, ad salutarem illum cibum sumendum; proferet in medium uerba illa Dauidis: Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Commemorabit quoque uerba illa sumpta ex libro sapientiæ: Venite commedite panem, bibite uinum, quod miscui uobis; locum etiam pulchrum Esaiæ, quem quintum S. Hieronymus appellat Euangelistam, Panis frugum terræ erit, et pignus: deinde præfatiuncula adhibita, magistri magistrorum uerba commemorabit, ita de seipso loquentis: Ego sum panis uitæ; et paulo post, Ego sum panis uiuus, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. concludet quasi per increpationem; arrogantem esse, qui negat se illo pane egere; stultum, et dementem, qui, oblata sibi uita, uelit manere in morte. Ita etiam de Purgatorio sermonem habens ad populum, quod sæpe debebit facere, ad excitandam pietatem erga mortuos, uerba illa Esaiæ proponet ac ponderabit: Via sancta uocabitur, non transibit per eam pollutus: accommodabit quæ idem propheta alio loco dixit: Abluet Dominus sordes filiarum sion, et sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius, in spiritu iudicij, et in spiritu ardoris. Quibus Esaiæ uerbis addet, quæ in hanc sententiam S. Ioannes in Apocalypsi scripsit: Non intrabit, inquit, in eam aliquid coinquinatum; ciuitas enim illa sancta est. His sacræ scripturæ testimonijs, siue oraculis, e multis sumptis, testimoniũ Saluatoris nostri adiungens, qui dixit: Qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Purgatorium esse affirmabit; animas in eo non posse quidquam, uel bene, uel male mereri: esse de sua salute securas; illis succurrendum, precibus, ieiunijs, eleemosynis, missarum sacrificijs;

quam si filij praestiterint parentibus mortuis, misericordiam eandem illis, cum e uita decesserint, filios suos praestituros. Et quoniam finitimus est oratori Ecclesiastico sacrarum literarum interpres; et interdum in prima concionis parte orator interpretis munere fungitur; de arte siue ratione explicandi sacras literas in tertio libro, cum de dispositione agemus, tractabimus. quod eo minus est alienum, quia usu, et consuetudine receptum est; ut Euangelia proponantur, ueluti themata, quibus populus ad praecepta Dei obseruanda, et ad recte instituendam uitam eruditur. Testimonijs Dauidis diuini uatis, ac uiri secundum cor Dei utetur saepe; quae plurimum ualent, non solum ad confirmandum aliquid, sed etiam ad illustrandam orationem, cum eius psalmi pulcherrimis metaphoris, et similitudinibus abundent.

De probatione ab auctoritate traditionum Apostolorum.
CAP. XXXXII.

SECVNDVM inartificiosarum probationum locum obtinent, Christi et Apostolorum traditiones: ut sanctissimi ritus, et cerimoniae, quae in sanctissimis sacramentis adhibentur; multaeq. praeclarae consuetudines, et sententiae, consensu sanctae Ecclesiae, et longo usu confirmatae: quae quoniam scriptae non sunt, sed de aure, ut aiunt, in aurem, ab apostolicis temporibus ad nos usque peruenerunt: uiuae uocis oracula rectissime dici possunt. Commemoret illa uerba Ioannis Apostoli: Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; et uerba Pauli Apostoli: Fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Poterit etiam ostendere multa esse ad Christianam religionem pertinentia, quae literis canonicis consignata, non reperiuntur

tur: ut perpetua matris Dei uirginitas; baptismus paruulorum; et multa alia; quæ tamen ita credenda proponit Ecclesia; ut qui aliter sentiret, in hæresim laberetur. Quare doceat legislatorem, et magistrum nostrum Christum, non solum docuisse, sed etiam in uniuersum præcepisse, ut ecclesiasticæ traditiones seruarentur, cum dixit discipulis suis: Sicut misit me pater, et ego mitto uos: qui uos audit, me audit: qui uos spernit, me spernit. Tribus uero potissimum de causis multa sine scripto tradita esse facile ostendet: primum ne apud ethnicos sacra nostra irriderentur, aut uulgo etiam in contemptum fidelium uenirent: deinde quoniam uiua uox, nescio quid latentis energiæ habet, et in discipuli aures de auctoris ore transfusa, fortius sonat; quare S. Hieronymus ad Paulinum ait: Indignum erat, ut tota Euangelij doctrina, quæ lex et spiritus, et uitæ est, mortuis quoque litteris committeretur, nec ulla ex parte committeretur cordibus: tertio ut ueri Dei filij ab adulterinis, et seruis dignoscerentur, seruorum enim est, et rudium ex præscripto solum agere; hinc Hieremias propheta, Dabo, inquit, legem meam in uisceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et S. Paulus ad Corinthios, Epistola estis Christi administrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. quare saluator noster nihil eorum, quæ fecit, et docuit, scripsit; nec, quod legamus, scribendum quidquam præcepit; immo cum misit Apostolos ad prædicandum Euangelium, non dixit eis, scribite, sed euntes prædicate Euangelium: quibus uerbis Apostoli longo temporis spatio uiua tantummodo uoce Euangelium prædicauerunt; postea etiam literis consignauerunt. Quanta demum fides traditionibus sit adhibenda, cum ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, perspici potest, tum ex Cypriani uerbis, qui ea de re scripsit in hunc modum: Vt par est Spiritui sancto, et Christo auctoritas, ita in suis institutis æqua est auctoritas et po-

testas: nec minus est, quod, dictante Spiritusancto, Apostoli tradiderunt, quàm quod ipse tradidit.

De probatione ab auctoritate Ecclesiæ. CAP. XXXXIII.

DE ECCLESIAE *auctoritate pluribus uerbis et sæpe dicet Ecclesiasticus orator, tum ut comparet auctoritatem eius ministris Episcopis, et sacerdotibus, quæ maxime est necessaria; tum etiam magis ad consolandos peccatores, qui salua naui, quàmuis maximis fluctibus agitata, adhuc non perierunt. Quare doceat Ecclesiam esse populum fidelem, per uniuersum orbem dispersum, eam non bonis tantum, sed malis etiam constare: regnum cælorum, idest militantem Ecclesiam, simile esse sagenæ, in mare missæ, commemoret; uel agro in quo zizania superseminata sunt; uel areæ in qua frumentum cum paleis continetur; uel decem uirginibus partim fatuis, partim prudentibus: esse expressam in arca Noe, qua non solum munda, sed etiam immunda animalia, concludebantur. Hanc Christum sibi amicam, sororem, et sponsam unicam delegisse, multisq. et eximijs promißionibus, ac beneficijs illustrasse, hanc constituisse domum suam, et uoluisse esse columnam, et fundamentum ueritatis, ut de illius doctrina dubitare nunquam possemus; quia tanquam magistra, custos, et interpres ueritatis, fidem atque auctoritatem obtinet inuiolabilem: hanc demum Saluatorem nostrum, urbi, supra montem positæ, comparasse; quæ ab omnibus conspici, et cognosci potest: atque cum ea omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi se futurum promisisse; ut tacite admoneremur ei in omnibus esse parendum: et quidquid illa, tanquam fidei dogma tenet, uerißimum esse; nec quidquam falsum, quod aut credit, aut docet, esse credendum. Cum enim, ut ait Apostolus ad Ephesios, corpus Christi sit Ecclesia, a suo certe capite mouetur, et regitur; ideo fateamur oportet eam nullo*

unquam

unquam tempore errare posse, quia à Saluatore nostro, Ecclesiæ ministris dicta sunt illa uerba: Ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem uos cognoscetis, quia apud uos manebit. quæ uerba ne quis Apostolis tantum dicta esse posset existimare, addit, non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt, per uerbum eorum in me. Quare nemo iure dubitabit, quin Ecclesiæ decretis, et legibus tanta fides sit adhibenda, quanta si ipsius Saluatoris nostri ore lata fuissent. Verum cum de Indulgentijs sermonem habebit ad populum Ecclesiasticus orator, eas esse thesauros, quos Christus sponsæ suæ Ecclesiæ donauit, demonstrabit: nam ut merita Christi, cuius una gutta sanguinis sufficiebat ad redimendos omnes christianos, merita etiam sanctorum martyrum, et preces Ecclesiæ, in indulgentiarum thesauro sunt recondita, ualere plurimum ad leuandam pœnam, cui obnoxij sumus, deleta iam culpa, quam indulgentissimus pater Deus peccatoribus remittit; dispensatorem huius thesauri esse Christi uicarium; ab illo concedi solitas indulgentias ad gloriam Dei, et ad populorum salutem, ac excitandos homines ad egregium aliquod opus: neminem, qui mortali peccato sit contaminatus, et qui ea, quæ sanctissimus Pontifex iussit, non obseruauerit, tanti beneficij participem esse: Iubilæum Plenariam Indulgentiam concedi, ut humanæ infirmitati succurratur, ad conseruandam reuerentiam erga sanctam sedem Apostolicam, ad confirmandam fidem catholicam, et ad excitandam in animis hominum spem diuinæ misericordiæ.

De probatione ab auctoritate sedis Apostolicæ. CAP. XXXXIIII.

S*EDIS Apostolicæ auctoritas, hoc est Romani Pontificis decretum, satis est firmum argumentum ad faciendam fidem: nam ipse est Christi Vicarius, et legitimus successor Petri;*

eandem

eandem, quam Saluator noster Petro tribuit, nō solum auctoritatem, et potestatem, sed etiam fidei firmitatem, et stabilitatem habens; cum ea uerba, Rogaui pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, ad eum etiam pertineant: ita ut in eis, quæ ad sanctißimam Christi, cuius uicem in terris gerit, religionem spectant, errare nullo modo poßit: præsertim cum Romani Pontifices, ut B. Gregorius scribit, nihil sine consilio grauißimorum hominum decernere consueuerint. Quando se offeret occasio, de potestate summi Pontificis Christi Vicarij aget; et ita ad populum dicet: quemadmodum nullum exercitum sine imperatore, nullum regnum sine rege, nullam domum sine patre familias; ita sine supremo pastore Christi Vicario, Ecclesiam regi non posse: inde ortos errores, quod membra a capite dissecta sunt.

De probatione ab auctoritate Conciliorum. CAP. XXXXV.

M*AGNA est etiam auctoritas sanctorum patrum; qui a Spiritu sancto in sanctis concilijs sunt congregati; ita ut in ijs, quæ ad confirmandam fidem christianam, et ad salutem animarum consequendam pertinent, nulla ratione errare poßint. nam cum Episcopi sint tanquam columnæ Ecclesiæ, et capita, a quibus cæteri omnes fideles pendent: si ipsi in errorem ducerentur, necesse esset, quod accidere non potest, ut omne christianum edificium corrueret; hæreses, multis iam sæculis damnatæ conciliorū auctoritate, reuiuiscerent; symbolum Nicænum esset ambiguum: denique nulla certa uia esset, qua in fidei controuersiis catholicum dogma exploraretur. Ad hæc cum B. Augustinus affirmet, uniuersalis concilij, sententiam, totius Ecclesiæ consensum esse: et cum Apostolo nulla alia commodior, ac facilior uia uisa sit ad ueritatem in quæstione exorta inuestigandam, quam si ad concilium Hierosolymitanum*

contro-

controuersia referretur, nullus dubitandi locus relinquitur, quin necessarium sit concilijs fidem adhibere, si Ecclesiæ auctoritatem uolumus tueri. Quare præclare a S. Gregorio Pontifice dictum est: quatuor Concilijs generalibus tantam fidem adhibendam, quantam Euangelistis; nimirum quia idem magister est Spiritus sanctus, et idem est auctor Christus. Quamobrem ubi de iustificatione sermo habebitur, explicanda est sententia concilij Tridentini, decretum illius in medium afferendum est, quod declarat iustum fieri hominem iustitia inhærente, per fidem in Christum, non historica, non mortua, sed formata, quæ per dilectionem operatur: et ubi in synodis habendus est sermo, ostendendum est, absque peccato mortali, non licere abesse a cura ouium, quæ nostræ fidei commisæ sunt.

De probatione ab auctoritate sanctorum patrum. CAP. XXXXVI.

IN explicatione sacrarum literarum, ad corroborandum aliquid, magnum etiam præstat argumentum Ecclesiastico oratori, sanctorum patrum consensus, et auctoritas, quandoquidem a Spiritu sancto docebantur, cuius ope ita ad ueram diuinæ scripturæ intelligentiam penetrarunt, ut in ijs, quæ ad fidem pertinent, non modo non errauerint; sed admirabilis etiam omnium consensus extiterit. cum enim omnes, qui illis successerunt scriptores, et concionatores sacrarum litterarum sensum ex doctrina ab illis percepta populo tradiderint: populus autem eundem sensum fideliter acceperit, profecto, si ipsi erra uissent, necessario aut eos Ecclesia, omnium errorum expultrix, tanto in honore tot annos non habuisset; aut in eadem naui uersata, naufragium fecisset: quod tantum abest, ut uerum sit, ut qui id dicere auderet, hæresis se labe commacularet. Hos autem Dominus per Hieremiam prophetam Ecclesiæ pollicitus fuit cum dixit: Dabo uobis pastores, iuxta cor meum, et pascent uos scientia et doctrina: ut uidelicet intelli-

intelligeremus ob id eos post prophetas, apostolos, et Euangelistas, nobis fuisse datos, quo eorum catholicam, hoc est uniuersalem, et communem intelligentiam, atque auctoritatem, tanquam ecclesiæ regulam, a Deo præscriptam, sequeremur. quo loco monemus clericos, ne contra sententias sanctorum patrum, ad populum audeant dicere: nec si quid ab eis, ut pote hominibus, erratum est, detegere, ut faciunt quidam, qui de prædestinatione sermonem instituentes, B. Augustini sententiam improbandam suscipiunt; omne mendacium uituperantes, S. Hieronymus accusant: oratione, laudibus, et interdum etiam silentio sanctissimi uiri, lumina ecclesiæ, uenerandi sunt: eorum errores minime sequendi, dissimulandi tamen, cum ad populum habetur sermo. Magna est etiam auctoritas Doctorum, qui scholastici appellantur, præsertim B. Thomæ Aquinatis, quem sancta Concilia, Tridentinum in primis, magna ueneratione dignum iudicauit; eorumq. auctoritas ualet plurimum, ad confirmanda ueræ religionis, dogmata, et ad falsa, et perniciosa refellenda.

De probatione ab auctoritate Philosophorum. CAP. XXXXVII.

NON minima est philosophorum auctoritas, eorum nimirum, qui non solum naturæ uim, et effecta; uerum etiam morum, et uitæ normam inuestigauerunt, idque magna ex parte sunt consecuti: et quamuis Saluator noster apud Ioannem euangelistā dixerit: Quotquot ante me fuerunt, fures sunt, et latrones; tamen hæc uerba non ad eos, qui diuino ita uolente numine, sed ad eos, qui sua sponte uenerunt, siue pseudoprophetas, siue pseudophilosophos pertinent: de quibus per Hieremiam prophetam Dominus ait: Non mittebam eos, et ipsi currebant. Quanquam uere, ut Clemens Alexandrinus putauit, philosophi fures appellandi sint, propterea quòd a Moyse, et a prophetis sapientiam subripuerunt, et gloriolæ aucupandæ

aucupandæ causa, quasi suam iactare consueuerunt. Platonem quidem, Pythagoram, et multos alios philosophos, hebræorum consuetudine familiariter usos, immo Pythagoram genere hebræum, atque etiam circuncisum fuisse S. Ambrosius affirmat. Quare nemini mirum uideri debet, si sancti doctores interdum usi sunt in suis scriptis philosophorum testimonijs: qui enim S. Hieronymum legit in libro secundo aduersus Iouinianum, ubi cum hæretico disserens, uarijs philosophorum auctoritatibus, multisq. ex eorum commentarijs rerum naturalium exemplis utitur; plane intelliget quantum horum auctoritas ad argumentandum conferat. Porro Epiphanius, cum multis argumentis suasisset B. Virginem, post partum uirginitatem conseruasse, hoc argumento, a philosophis naturalibus sumpto, confirmat his uerbis: Aiunt leonem non parere, præterquam semel, et unum; cumque rationem, quam eius rei philosophi reddunt, subiecisset, concludit B. Virginem, quæ leonem peperit de tribu Iuda, non nisi semel, atque unicum peperisse. S. etiam Paulus Apostolus ad Corinthios scribens, ex Menandri tragœdijs illud sumpsit: Corrumpunt bonos mores colloquia praua; et ad Titum ex Epimenide philosopho, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri. Quamobrem ad aliquid confirmandum postquam Ecclesiasticus orator sanctorum patrum sententias, aut exempla adhibuerit; nonnunquam philosophorum auctoritates adiungere utile iudicamus: quo nos christianos ueræ philosophiæ amatores magis pudeat: quod faciendum in primis est, cum de remittendis iniurijs, et de contemptu rerum externarum, deque minime formidanda morte, agendum est. Plato, Aristoteles etiam melius esse scripsit affici, quam afficere iniuria: nos christiani, quod ualde deplorandum est, tam dulcem, tam iucundam uindictam ducimus. Philosophus dicebat omnia mea mecum porto, fugiens ab excidio patriæ; nos ad cælestem patriam

nati, regis regum omnium Christi fratres, in magna rerum copia egemus. Seneca docuit contemnendum esse contemptum, nos contemni miserrimum arbitramur.


De probatione ab auctoritate Historiarum. CAP. XXXXVIII.

INTERDUM etiam historiæ grauissimorum hominum, præsertim ueterum, qui suspicione odij, et gratiæ uacant, plurimum ualent ad faciendam fidem. nam cum historia testis temporum, lux ueritatis, uitæ memoria, magistra uitæ, nuntia uetustatis sit dicta; necessario fides illi habenda est, nisi omnium rerum præteritarum memoria tollenda, et more pecudum uita degenda sit: non est enim hominis bene instituti, et ad uitam humanam bene informati, uiro graui, et fide digno aliquid affirmanti, non credere: uerum omnes probati, et graues historici, si in eadem re conueniunt, ex eorum auctoritate certum argumentum promitur, ut fidei dogmata, firma etiam ratione confirmentur; uerbi causa beatissimum Apostolorum principem Petrum Romæ collocasse sedem, et pro Christo martyrij gloria coronatum esse, omnes graues historiæ tradunt: unde certa argumentatione concludi potest, Romanum Episcopum Petro in pontificatu succedere. item Concilium Nicænum tompore Constantini a Siluestro Pontifice maximo esse coactum, grauissimi quique historici memoriæ prodiderunt: qua ex re colligimus Concilij Nicæni definitiones ueras esse, eo quod certum sit Concilium generale ecclesiæ a Romano Pontifice comprobatum, errare non potuisse. Incredibile est quantam utilitatem afferat oratori Ecclesiastico cognitio ecclesiasticæ historiæ, in primis ad hæreticos conuincendos, et ad rudium animos ad pietatem, omnemque uirtutem informandos. in quibus commemorandis, hortamur clericos, ut modum adhibeant, cum ad populum sermonem habent, ne in aliquam leuem memoriæ ostenta-

tionem incidant; ubi uero sacræ loquuntur litteræ, uel Christus aliquid præcipit: ubi traditione apostolica, uel auctoritate conciliorum aliquid confirmari potest; longas historias proferre superuacaneum, aut ambitiosum esse uidetur. Quoniam igitur declarauimus, quibus rationibus Ecclesiasticus orator dicendo possit de rebus ad gloriam Dei, et ad salutem animarum pertinentibus, auditores instruere, regnum Dei, quod ipsi, et omnibus Christi fidelibus debet esse propositum, augere; consequens est, ut aggrediamur explicare, qua ratione auditorum animos possit commouere.

Finis primi libri.

DE
RHETORICA ECCLESIASTICA
AD CLERICOS
Liber Secundus.



Ecclesiasticæ eloquentiæ partem esse commotionem. CAP. I.



VOD Rhetor, et orator magnus sæculi scripsit, accommodari potest, ut B. Augustinus obseruat in libro de doctrina christiana, paulum immutatis uerbis, oratori Ecclesiastico, docere est debitum, delectare honorarium, flectere uictoriæ: debet enim is, qui Christi legatione fungitur, probare uerissimam esse Christi religionem, eamque complecti omnia, quæ speranda, quæ timenda, quæ uitanda, quæ agenda

sunt. Ad expugnandos auditores hoc plurimum ualet, ut dicentis oratione, atque moribus, auditorum animi commoueantur: nam quanquã de eorum, qui audiunt, salute agatur, ita ut nulla uideretur necessaria commotio; quoniam tamen grauissimi, et acerrimi sunt domestici inimici, quibus, dum in hoc corporis carcere detinemur, insidiose oppugnamur; commouendi sunt animi, et ad pugnam hanc necessariam excitandi, ne uarijs fluctibus humanarum cogitationum, et cupiditatum mergantur.

Qua ratione auditorum animi possint commoueri. CAP. II.

Hoc autem sit primum præceptum, ut quis auditorum animos commoueat, qua in re orationis sita est uictoria, ut ille, qui dicit, sit ipse commotus: ut si alios uult flere, fleat ipse primum: quod consequetur, si quod uerbis prædicabit, operibus comprobare studuerit; si nulla alia de causa, quam zelo Dei, et studio salutis animarum, dicendi munus susceperit: si præstantissima charitatis uirtute accensus fuerit, cuius solo ardore, B. Gregorio pontifice teste, prædicatio flammescit: ita enim fieri non poterit, quin aliqua scintilla ad auditorũ corda perueniat. Utile erit præterea, rem ipsam, de qua dicturus est, diligenter considerare, eaque ex sacris litteris, et præsertim ex prophetis, qui fuerunt Dei legati, et cœlestes, ut ita dicam, oratores, legere, in quibus idem, aut similis locus explicandus est: uerbi causa cupiens, quod sæpe necessarium est, auditoribus diuinæ ultionis timorem incutere, legat Esaiam prophetam, qui illum locum tractat his uerbis: Abiecerunt legem domini, ideo iratus est furor domini in populum suum, et percussit eos; et alio loco, Ultionem capiam, et non resistet mihi homo; quoniam iratus super populum meum, effundam super eum indignationem meam, et omnem iram furoris mei: et multò uehementius terrorem incutit, cum dicit: Ueh Assur uir

ga furoris mei, et baculus ipse est, in manu mea indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, diripiat prædam, et ponat illam in conculcationem, quasi lutum platearum. quæ uerba calamitosis hisce temporibus maxime conueniunt: quandoquidem magna orbis terræ pars, sathanæ tyrannide oppressa, immanissimo Turcarum tyranno, eius ministro, subiecta est: ita ut ciuitatum, prouinciarum, rerumpublicarum, atque illustrium regnorum, quæ in eius manus uenerunt, commemoratione, populis diuinæ iustitiæ terrorem, orator possit incutere. Verum calamitatem humanam cupiens ante oculos ponere, ut deterreat a uitijs, lamentationes Hieremiæ prophetæ diligenter legat, quas S. etiam Gregorius Nazianzenus, ut ipse in quadam oratione scripsit, in rerum prosperitate legere consueuerat: ut ea ratione seipsum temperaret. Iam uero quoniam nullus est præstantior magister, a quo mentes in Deum trahi possint, quam sanctus Spiritus; ideo precibus, et sanctis sacrificijs inuocandus est, atque inuitandus, ut ipse pro christiano oratore loquatur, ipse suggerat, ipse doceat. Quamobrem hortamur clericos, ut neque hanc commotionis partem, neque ullam aliarum adhibeant; immo ne ad dicendum quidem audeant assurgere, nisi inuocato Spiritu sancto, et nisi corde puro, et contrito, illud semper in animo habentes; Spiritus sanctus effugit fictum, et non habitat in anima subdita peccatis.

Quid sit commotio, et quòd Stoici, qui omnes affectiones appellarunt morbos, et ideo eas extirpandas censuerunt, uehementer errauerint: et qua ratione bonæ à malis distinguntur. CAP. III.

CVm commotio sit quædam mentis incitatio, sine qua ingrata, et exanguis sit oratio; dabit operam Ecclesiasticus orator, ut, quemadmodum sanguis per totum corpus diffunditur, ita

ita in omnibus orationis partibus, quædam insint, quæ ad commouendum ualeant, nunquam probabit Stoicos philosophos, qui humanitatem extirpantes, omnes affectiones, morbos appellabant. Sed potius sciat utiliter a benignissimo patre Deo hominibus datas, ad eius nominis gloriam, ad animarum salutem, et ad populi etiam christiani utilitatem, illudque uerissimum esse, medias esse affectiones inter uirtutes, et uitia: sed distingui etiam posse hac ratione, nimirium si sursum ferantur, si in cœlum dirigantur, oriri uirtutes: si in terra depressæ iaceant, nasci uitia; uerbi causa, si concupiscibillis illa uis, quæ est in hominis anima, in cœlum dirigatur, laudabiles, et uere christianæ oriuntur affectiones, amor Dei, et proximi, gaudium, tædium huius sæculi, timor periculorum, quæ imminent in hac uita, atque etiam iustus dolor, quod nobis ipsi iter impediamus ad cælestem illam patriam, et spes ac sancta quædam confidentia, quam resignationem in Deum nobis licet appellare, sin autem uis illa deorsum tendit, omnia peccata inde nascuntur, inde cupiditas inanis gloriæ, inde auaritia, inde turpis uoluptas nascitur. Eadem ratione si irascendi uis illa diuinitus hominibus tradita, sursum feratur, excitatur, et alitur præstantissima affectio, quæ dicitur zelus, et cum ad inferiores corrigendos adhibetur, est nutrix disciplinæ, et correctionis magistra, ex qua, ueluti ex fonte, oriuntur christianæ uirtutes, fortitudo, martyrium, constantia, magnanimitas, christiana æquitas, et quædam aliæ, quas philosophi ignorauerunt.

Quòd fons omnium affectionum bonarum sit amor Dei, malarum uero amor mundi inordinatus; et qua ratione excitandi sint auditores ad amorem Dei, et ad desiderium cœlestis patriæ. CAP. IIII.

EXCITABIT autem Ecclesiasticus orator in primis ad amorem, qui est fons omnium affectionum, cum est rectus

bonarum,

bonarum, cum est peruersus, malarum, qui est uia, qua itur ad Christum: et ostendet nullam uiam tutiorem nobis demonstratam: et ut magis commoueat animos, dicet eo nobiliorem quemque esse, quò nobiliora, et præstantiora diligit: Deum esse amabilißimum, quia optimus, quia benignißimus, quia pulcherrimus; immo quia fons bonitatis, benignitatis, pulchritudinis, et omnium bonorum: esse diligendum, quia dominus clementißimus est, quia dißimulat peccata nostra; expectans nos ad pœnitentiam, quia nos tuetur, quia bona omnia nobis largitur, quia hæreditatem sanguine filij sui nobis præparauit æternam: ad hunc amorem Dei, in quo omnis christianæ religionis uis sita est, excitans populum, quod sæpe Ecclesiasticus orator facere debebit, pluribus uerbis exponet uerißimum illud esse, quod ueteri prouerbio dici solet, Nec regnum, nec amorem socios admittere, fieri non posse ut idem diligat Deum, et mundum; idcirco his utetur propositionibus ad excitandum desiderium cœlestis patriæ, quæ pijs mentibus maxime desideranda est: in eo qui diligit mundum, non esse charitatem Dei: addat, difficile, immo potius nulla ratione fieri posse, ut præsentibus quis fruatur, et futuris bonis, et in utroque sæculo appareat gloriosus, et de delitijs transeat ad delitias: nos qui utimur hoc mundo, sic eo uti debere, tanquam non utamur: uerè mundum esse hypocritam, cum insidiarum, et dolorum plena sint omnia; et cum licet bonus rudibus appareat, ualde tamen eum immoderate diligentibus, perniciosus sit: et de præteritis uoluptatibus nihil nos habere, nisi reatum; de futuris nihil; de præsentibus solum nunc, quod scimus, quam sit fluxum. quo loco B. Gregorij pontificis uerbis utentes, ad populum sæpe se clerici poterunt conuertere: Ecce mundus qui diligitur fugit, et quia eum retinere non possumus, necesse est ut cum ipso labamur. quibus uerbis addenda est illa sententia: Dies mundi sicut umbra prætereunt. quanto magis quis sequitur

umbram

umbram suam, tanto magis illa fugit. ad quam rem in animis auditorum imprimendam, prophetarum oracula commemoranda sunt: uerba illa Esaiæ recitanda, Clama, dicit Dominus Esaiæ, qui respondit, quid clamabo? omnis caro fœnum, et omnis gloria eius quasi flos agri; quæ uerba proferens orator, interpretis munere fungens, maxime commouebit. Quare dicit clama? quia multas uoces per seruos suos emisit dominus surdis. uere omnis populus est fœnum, uere sumus fœnum omnes; ac etiam floribus similes sumus, qui ex herba producuntur pulchri, et iucundi, paulo post exarescunt, et ad nihilum recidunt. Ostendet etiam uapori similem esse hanc uitam, similem nebulæ, quæ cito solis radio apparente, resoluitur: sæpe illa B. Augustini uerba inculcanda sunt: O misera uita, inquit, quoties decepisti? quoties seduxisti? quæ dum uideris, umbra es; dum extolleris, fumus es, dulcis es stultis, amara sapientibus. Hæc ad tollendum impedimenta amoris Dei, et ad excitandum desiderium cœlestis patriæ plurimum ualent. Inculcandum est etiam sæpe religionem, quam profitemur, esse amoris regulam: si ea, quæ uere amabilia sunt, amentur a nobis, et amoris nostri moderator sit Spiritus sanctus; omnes uirtutes nasci, desiderium uitæ æternæ, sanctum gaudium, salutarem pœnitentiam, castum timorem Dei, feruentem zelum, consolationem in rebus aduersis: ubi desit sanctus hic Dei amor, nasci cupiditatem, uoluptatem, desperationem, audaciam, odiũ, inuidiam, et huiusmodi.

Quomodo excitandi sint quidam boni uiri ad amandos semetipsos, et proximum. CAP. V.

INTERDUM *necesse est excitare quosdam uiros bonos, qui alijs præsunt, ad amandos semetipsos, hoc est ad amandam hanc uitam, cum præsertim eam populis utilem ipsi, aut boni uiri iudicauerint; nimirum ut alijs prosint, et ut sanctarum uirtutum usu,*

cœlestem

cæleſtem patriam magis mereantur. Quod tamen caute faciendum eſt, cum maior hominum pars, uitam cupiant protrahere, ut uoluptatibus diffluant, ut diuitijs, et honoribus abundent. qui amor maxime oratori Eccleſiaſtico eſt tollendus, ut miſerabilis illa indulgentia, qua placemus nobiſmet ipſis, a ſenſibus noſtris euellatur. Hæ ſententiæ explicandæ ſunt, eum qui amat animam ſuam, quod nihil eſt aliud, quam ſibi indulgere, illam perdere, hoc eſt uiſione Dei ſeipſum priuare: amandum proximum: ad hunc amorem nos impellere naturam: diligendum non lingua, et uerbo, ſed opere, et ueritate: diligendum, ut nos Chriſtus dilexit, cuius amor fuit gratuitus, uehemens, et conſtans. quo loco inconſtantiam huius ſæculi licebit reprehendere: quòd homines neſciant diligere, niſi ex illo amore opes ſibi parent, aut ut impuræ uoluptati ſeruiant, ita ut uoluptuarij potius, aut mercatores rectius, quam amici reperiantur. eundem dicat, nos patrem habere Deum, eodem pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptos, eundem habere magiſtrum Spiritum ſanctum, eandem matrem Eccleſiam, eiſdem uti ſacramentis, eiuſdem nos terræ filios, ad eandem nos patriam aſpirare, uere nos eſſe fratres; communicanda omnia noſtra, hoc eſt ad communem utilitatem conferenda, ingenium, memoriam, linguam, quidquid longo ſtudio didicimus, quidquid Dei beneficio nobis conceſſum eſt.

Quomodo parentes amare debeant filios ſuos, et filij parentes. CAP. VI.

QVONIAM multi, cum ſe maxime putant diligere filios ſuos, eos imprudentes odio habent; et cum beatos eſſe cupiant, eos peruerſa diſciplina miſeros efficiunt: excitandi ſunt maxime parentes ad amandos filios, ad procuranda filijs ſuis ea bona, quibus abuti nunquã poſſint, chriſtianas uirtutes, in primis timorem Dei: et per increpationem ille dicet: Amatis uos filios ueſtros,

qui ad iracundiam ueſtra iracundia, ad auaritiam ueſtris ſordibus, ad blaſphemiam, impuro ueſtro ore, ad contumeliam, luxuriam, ac inſolentiam male partis diuitijs eos armatis: odio habetis filios ueſtros, miſeros efficitis, eoſque idola uobis conflatis, uirgæ parcitis, indulgẽtia ueſtra deteriores efficitis, calamitatis ueſtræ artifices eſtis. Ad filios conuertens ſermonem, B. Thomæ ſententia probabit, multo uehementiorem eſſe amorem parentum in filios, quam filiorum in parentes: quia eſt diuturnior, et quia de ſanguinis coniunctione ſunt certiores: grauiſsimum ſcælus eſſe iniuria afficere illos, qui de nobis ita ſunt benemeriti, quibus organis uſus eſt Dominus, ut in lucem ueniremus. Obiurgandi ſunt ingrati filij, et perterrefaciendi, et dicendum, eos Deum ſine dubio ultorem habituros.

Quomodo impellendi ſint coniuges ad mutuum amorem. CAP. VII.

QVONIAM uero inter coniuges multæ oriuntur diſcordiæ, multæ rixæ; neceſſe eſt ſæpe hortari, ut ſe mutuo diligant: ad quem amorem ubi excitati fuerint aliqui, quos earum ſatietas cepit; reprehendendi ſunt qui ardentius amant uxores ſuas, quam decet, ita ut adulteri uideantur: et ut mancipia ſæpiſsime ſeruiunt uxoribus ſuis, earum uanitati ita indulgent, ut patrimonium conſumant. Vxores ad amandos uiros ſuos excitandæ ſunt, ad fidem ſeruandam: ſæpe dicendum bonas uxores de uirorum ſuorum ſalute eſſe ſollicitas, ſanctificatos multos uiros infideles per mulierem fidelem: quod Valeriani, qui ſanctitate Ceciliæ ſanctificatus fuit, exemplo confirmari poteſt.

Quomodo excitentur auditores ad amandam patriam. CAP. VIII.

ACCIDIT ſæpe, ut ad amandam patriam neceſſe ſit auditores impellere; cum tam pauci reperiantur, qui proprijs

commodis

commodis omnia non metiantur, et publicis commodis priuata non anteponat: amare patriam est bene uelle patriæ, bonam, et beatam illam cupere, atque præclaris legibus, et bonorum omnium generibus cumulatam. Quare qui adulationibus, qui blanditijs in animos illorum, qui præsunt, illabi student; qui nouis sumptibus, et pompa se alijs præferunt, et æqualitatem tollunt; patriam corrumpunt, non amant. Ostendendum est, Urbem Romam communem omnium christianorum esse patriam, in qua est sita sacrosancta sedes apostolica, pro qua uel mori pulcherrimum, et honestissimum est. Accommodare poterit hæc orator hominibus in oppidis, et etiam ruri habitantibus, et dicere, inde cognosci, siquis oppidum, aut uillam, in qua natus est, diligat, si Ecclesiam parochialem ornare studeat, si puerorum curam habeat, ac si filij essent; si res communes recte administret; mortuos esse pro patria multos apud Romanos cõmemorabit; multo æquius esse mori pro defensione religionis, et multo optabilius nobis, qui uitam expectamus æternam.

Quomodo excitandi sint amici ad mutuum amorem. CAP. IX.

INTERDUM *excitans amicos, hoc est homines ætate, moribus pares, electione inter se coniunctos, ut se uere diligant, hortetur: caueant ne se mutuo blandis uocibus amicos, et fratres appellantes, odio habeant: ne domestici sint inimici, animarum suarum interfectores; sanctum nomen esse amicitiæ, consensionem animarum in sancta religione, in amando Deo, in christianis uirtutibus exercendis. Qui idem uolunt, cum uolunt ea, quæ legi Dei aduersantur, inimici rectius appellandi sunt, quam amici; uolunt enim sibi inuicem mala, cum turpissimarum uoluptatum conscij, et administri sunt: cum usuris enecant homines, cum semper laudant, ut placeant, non corrigunt, ne displiceant. Exclamabit aliquando nomen amicitiæ*

citiæ e Republica christiana, tanquam in exilium missum: illos etiam, quos sancta mater Ecclesia coniunctissimos esse uult, quos compatres nominat, nullam filiorum communium curam habere, ad licentiam, ad multa plerunque peccata sanctam illam coniunctionem adhiberi solitam: commemorabit etiam eorum cor unum in Christo esse debere, et omnia habere communia, fidem, spem, charitatem, participationem sacramentorum, delectari iisdem ieiuniis, eisdem orationibus, lectione eorundem sacrorum librorum.

Qua ratione excitandi sint auditores ad resignationem in Deum, et ad zelum. CAP. X.

ORATORIS Ecclesiastici erit ad resignationem in Deum auditores excitare, ut collocent omnes suas spes in benignissimo illo mundi, et bonorum omnium parente Deo: nihil deesse uolatilibus cæli, multo minus necessaria christianis, qui fratres Domini, filii Dei adoptiui, hæredes futuri cælestis patriæ sunt, nullo unquam tempore defutura: utimur hoc nomine resignationis, donec magis proprium occurrat, quæ est affectio lenissima, et tranquillissima animi a diuino amore profecta: qua quis diligens Deum, confidit, nihil sibi defuturum, nihil cupit, nihil quærit, nisi quod Deo placere sibi persuadet. Ad hanc excitabit orator Ecclesiasticus hac ratione, quia illi, qui seruiunt regibus, quo modestiores sunt, eo gratiores esse consueuerunt; multo magis id seruis Dei conuenire, qui nihil aliud petentibus, nisi ut fiat uoluntas eius, multo plura solet concedere, quam ipsi ausi fuissent petere. Ad quendam admirabilem effectum amoris, hoc est ad extasim populus non est excitandus; cum tantæ perfectionis non sit capax, et donum sit præcipuum Dei, quod paucissimis est concessum. optanda potius est nobilissima illa affectio, quam populis proponenda. Ad zelum, qui est quidam feruor mentis, quo

quis

quis debet excitari ad proficiendum cum illis, qui profecerunt, excitandus est populus, excitandi sacerdotes, commouendi illi, qui præsunt ciuitatibus, oppidorum administratores, ne patiantur populos, alios sibi deos constituere, quam unum Deum cœli, et terræ dominum: cautionem adhibeant, ne transfugiant ad sathanam, et ut zelotypi facere consueuerunt, qui obseruant, an eorum uxores cum amatoribus loquantur, obseruant etiam quid dicant, respiciunt nutus, et actus: ita ipsi considerent, num pauperes opprimantur, num occidantur usuris homines, num uoluptas corrumpat animos eorum, quibus præsunt, num hæresis aliqua ratione possit irrepere, num praua aliqua consuetudine ciuitas contaminetur, num otio præstantia corrumpantur ingenia, num recte in doctrina christiana instituatur populus, ad quem zelum excitare eos, qui præsunt, poterit Ecclesiasticus orator hunc in modum: eos esse Dei ministros, populorum patres, exemplaria uirtutum, ad imitandum proposita; grauissimam pœnam illos daturos, qui sua gubernatione deteriores homines effecerint: maxime ad hunc zelum excitandi sacerdotes Dei ministri, ut animas sibi creditas diligentius, quam zelotypus uxorem suam, custodiant, obseruent, instituant, corrigant, diligant, sæpe de moribus singulorum interrogent, non parcant sceleratis, et flagitiosis, nonnunquam improuiso adeant oppida, ecclesias, uicos, ut explorent, si ad lenitatem, uirtutem episcopo, et parocho dignam, quispiam est natus, seueritatem, eius muneri interdum ualde necessariam induat; audiat, et imitetur magistrum magistrorum Dominum, qui eiecit numularios de templo: quo loco illa uerba per increpationem proferat: Zelus domus tuæ comedit me: et acriter accusabit de ambulantes in ecclesia sancta Dei, non audientes uerbum Dei, irridentes sanctos homines, qui frequentia sanctissimorum sacramentorum delectantur: et, cum de gloria Dei agitur, opes, honores, et uitam ipsam esse negligendam dicet.

dicet. Præcepta ad excitandos auditores ad amorem, tractabimus, multo plura dicturi, cum de uarietate auditorum tractabimus.

Quod nunquam ad odium, nec etiam ad indignationem auditores sunt excitandi. Cap. XI.

QVAE a philosophis, et ab ijs, qui artem Rhetoricam tradiderunt, ad excitandum odium, et indignationem scripta sunt, ea, ut pote christianis, et maxime clericis inutilia, et perniciosa omittimus. Excitare odium in imaginem Dei filium eiusdem patris Dei, cuius omnes sumus filij, et ad eandem hæreditatem uocati, non solum a christiano, sed etiam ab homine alienissimum est. peccata esse odio habenda, et maxime uitanda iam ostendimus, non inde tamen sequitur peccatorem, quem iustum efficere potest Dominus, qui sua pœnitentia potest alios ad pœnitentiam excitare, odio esse habendum: eius potius causa dolendum, et pro eo, ueluti pro fratre, orandum: et cogitandum sæpe, ac uehementer timendum, ne, et nos cadamus. Indignatio autem, est dolor ex bono alterius, quem illo indignum iudicamus, quæ perturbatio, ut philosophi scribunt, in illos in primis cadit, qui se dignos maximis honoribus esse intelligunt: dolent igitur, aut quia non consequuntur, quæ indigni sunt consecuti, aut quia pares illos sibi uident factos, quos inferiores existimant. quamobrem huiusmodi perturbatio fortasse non est laudanda, neque excitanda, cum suspicienda sint Dei iudicia, et christiani hominis sit omnes sibi anteferre, alios se meliores putare: et fieri etiam possit, ut qui mali, et indigni honoribus fuerint, mores corrigant, et illis se honoribus dignos præbeant. Nec uituperanda est omnino publice hæc affectio: potest enim interdum a uirtute proficisci, quia tamen meliorem animam non efficit, et humano generi non prodest, non expedit, ut in cœtu hominum excitetur.

Quomodo commouendi sint animi ad iram, hoc est, ad zelum honoris Dei, et ad mansuetndinem. CAP. XII.

IRA est dolor mali præsentis, aut non sine dolore: ad hanc commotionem utile erit interdum oratori Ecclesiastico populum concitare, nunquam tamen concitabit, nisi propter honorem Dei. quam iram, aut potius zelum honoris Dei expreßit diuino numine afflatus Dauid his uerbis: Irascimini, et nolite peccare. Iram uindictæ apparentis, et illustris cum dolore appetitionem in illum, a quo se quispiam, aut aliquem suorum palam neglectum, atque contemptum merito putet, Aristoteles definit: ex qua definitione colligitur hanc potißimum esse huius commotionis excitandæ causam, nimirum contemptum. superbum enim animal homo tantum abest, ut contemni æquo animo ferat, ut haberi qui nō est, et magni fieri maxime appetat: a quo genere perturbationis, semper studebit Ecclesiasticus orator auertere auditores; et probabit lætandum potius nobis esse, cum contemnimur, cum nos nihili faciunt homines, cum contumelia afficiunt, cum detrahunt; hæc esse pharmaca maxime accōmodata ad sanandam superbiam nostram; regem regum, et dominum dominantium, Christum Dei filium in hoc mundo despectum, contumelijs uarijs affectum, orasse pro calumniantibus, et persequentibus se, et, cum maximis iniurijs afficiebatur, mansuetudinis nobis reliquisse exemplum. Ira christiano homine digna est, in eum cum dolore concitari, qui Deum cæli, et terræ dominum non agnoscit, et Beatam semper Virginem Mariam matrem Dei, et aduocatam nostram, sanctos æterna uita fruentes, innocentes etiam uiros debita ueneratiōne non prosequitur: quæ ira rectius fortasse, ut paulo ante diximus, appellari potest zelus, quo sancti uiri amici Dei commoueri consueuerunt, ut est apud Dauid: Mei autem pene moti sunt pedes, pene

effusi

effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens: et alio loco, Zelaui super facientes iniquitatem: ad quam commotionem populus concitandus est aduersus hæreticos, et aduersus publicos peccatores; maxima tamen adhibita cautione, ut semper intelligat qui audit, orandum esse pro ijs, quibus irascitur, et nihil esse, cum de honore Dei non agitur, mansuetudine amabilius, nihil etiam Deo, atque bonis uiris acceptius. Mansuetudo est compositio animi, et frænatio iracundiæ, amicitiarum conciliatrix, bonæ existimationis nutrix, discordiarum expultrix, alumna pacis, et iucundissima humanæ uitæ socia: in qua uirtute qui magis proficit, maiorem sapientiæ, et bonitatis famam consequitur. Ad mansuetudinem uero sæpe necesse erit animos impellere; cum iniuriarum, simultatum, atque odiorum plena sint omnia: satis miseros esse illos qui in nos iniuriam intulerunt, quia iniuriosi sunt, quia peccauerunt: sedandum animum, quia illud est uincere, quia illud est imitari Christum, illud est aspirare ad uitam æternam.

Quomodo commouendi sint animi ad Pœnitentiam. Cap. XIII.

Dolent qui male se habent: et cum in malis nihil iure collocari possit, nisi peccatum, morbus grauissimus animæ; declarandum est, salutarem esse dolorem uoluntarium: pœnitentiam esse peccatorum medicinam, sine qua sanari nemo potest, sine qua qui e uita, peccatis maculati, decedunt, perpetua morte condemnantur: esse iniquitatum interitum, lacrymarum alumnam, salutis spem, donum cælitus datum: eam non fornicatorem renuere, ab ebrio non auerti, non abhominari idolatram, non adulterum repellere, non maledicum insectari, non reprobare blasphemum, non superbum, sed omnes suscipere, omnibus communicare, omnibus cæ-

lum

lum aperire, et omnes ad cælestem illam patriam ducere. Verum cum nihil sit, quod magis animam nostram deprimat, quam peccatum, onus grauissimum, quod Zacharias plumbi similitudine expressit, et David illius naturam sic descripsit: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus graue grauatæ sunt super me: ostendat Ecclesiasticus orator, hoc onere animam nostram, per pænitentiam liberari, ita ut usque ad cælum facile possit euolare: ideo Christum dominum ostendisse, per eam regnum cælorum ad homines appropinquare, cum dixit: Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum: et B. Ioannem Baptistam exclamasse: Facite fructus dignos pænitentiæ, quoniam ecce adest regnum Dei: per eam latronem in cælum receptum fuisse: per eam Dauidem, post flagitium, iterum Spiritum sanctum recepisse: per eam Manassem, post cruenta facinora, acceptum Deo factum fuisse: per eam Petrum apostolum, postquam ter Christum negauerat, peccatum deleuisse; et Paulum, persecutorem nominis Iesu, blasphemum, contumeliosum, inter Apostolos relatum fuisse. Hunc locum interdum poterit Ecclesiasticus orator exclamatione augere, in hunc modum: O pænitentia, quæ peccatum, miserante Deo, remittis, et paradisum aperis, quæ contritum sanas hominem, et tristem exhilaras, uitam de interitu reuocas, pristinum statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, uires, et gratiam tribuis: o pænitentia quid de te dicam? omnia ligata tu soluis, omnia soluta aperis, omnia aduersa mitigas, omnia contrita sanas: o pænitentia misericordiæ mater, et magistra uirtutum, magna opera tua, quibus reos liberas, reficis delinquentes, lapsos erigis, desperatos recreas: tu auaritiam respuis, horres luxuriam, linguam cohibes; mores componis, odisti malitiam, excludis inuidiam. Ad hanc sæpe orator Ecclesiasticus auditores excitabit hac ratione; nihil esse calamitosius, quam peccare, quam disiungi a

Deo, Christi acie deserta ueluti transfugam diabolo seruire, ingratum esse peccatorem in Deum, patrem benignissimum, crudelem in semetipsum, qui natus ad uitam æternam, propriæ salutis inimicus, seipse perdat: peccati comitem esse plerunque infamiam: pauperes, obscuros homines, atque etiam corpore infirmos non esse miseros, si bene actæ uitæ conscientia sustententur: miseros esse, qui peccant. Peccare autem, sic oratorio quodam modo hoc loco describimus, ut B. etiam scribit Anselmus, est debitum Deo honorem adimere, subtrahere ei obedientiam. Atque ad commouendos animos ad sanctam Pænitentiam, cum natura comparatum sit, ut illis malis doleamus, quæ nostra culpa nobis scimus accidisse, commemoranda sæpe erunt illa uerba: Perditio tua ex te Israel; et quoties uolui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? uerissimam esse illam Ioannis euangelistæ sententiam sæpe dicet: Vult omnes homines saluos fieri, falsum illud esse commentum, fato atque constellationibus, ad quædam scelera homines cogi, conscientiam esse domesticum, et uerum tribunal commemorabit, ut sanctus scribit Gregorius Nazianzenus, nihil esse detestabilius apud Deum excusatione peccati. Quare sic uitam nostram instituendam esse, ut nosmetipsos accusemus, et doleamus, confiteamur peccata nostra, et satisfaciamus: ostendat etiam maximas pænas daturos illos, qui non egerint pænitentiam. nam si, ut Apostolus inquit, irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione, duobus aut tribus testibus moriebatur; quanto maiora supplicia merentur ij, qui benignissimum patrem Deum peccatis suis irritauerint? Quare ad pænitentiam, tanquam ad arborem uitæ, confugiendum esse inculcabit, expellendum a nobis peccatum: quandoquidem quasi coluber in præcordijs hominum parit mortem, et quasi serpens uenenum spirat, et lethiferum generat morbum: audiendum atque imitandum Dauidem, pænitentiæ exem-

exemplar, dicentem, Genua mea infirmata sunt a ieiunio; et caro mea immutata est propter oleum.

Quibus rebus commouendi sint auditores ad luctum. CAP. XIIII.

DOLORIS frater, et pœnitentiæ filius est luctus, nobilis christianorum hominum uirtus, uanitatis, et stultitiæ expulsor, sapientiæ socius, et beatitudinis fidelißimus comes, quemadmodum dominus noster in Euangelio testatum reliquit, cum dixit: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: nam quemadmodum seruus plorans, propitium reddit dominum suum, filius patrem lachrymis mitigat, et paruulus plorans, asperam matrem mulcet; sic etiam peccator profusis lachrymis, placat iram Dei, ad eiusq. se amicitiam adiungit. Quamobrem ostendat Ecclesiasticus orator, summam in hoc apparere Dei benignitatem, ut quod ipse primæ mulieri peccanti, tanquam peccati pœnam dederit, cum dixit: In tristitia paries filios tuos, in salutem humani generis uoluerit conuerti: nam sicut tristitiam peccatum peperit; ita et tristitia peccatum contriuit: et quemadmodum uermis in ligno natus, ipsum postea corrodit, sic peccati tristitia, ipsum peccatum comminuit. Hortetur auditores, ut luctu præoccupent pœnam, quam pro suis peccatis merentur, rogum peccatorum extinguant, non iam aquis multis, sed paucis lachrymis. nam quamuis magnus sit peccati ignis, modica tamen lachryma eum extinguit: respondeant iudici, priusquam in prætorium ueniat, defleant non pœnam, sed peccatum: neque solum illud defleant, sed defleant amare, quemadmodum et Petrus, de profundis clament, et deducant fontes lachrymarum, quo Dominus misericordia motus, peccata dimittat, clemens etenim est, ipse quippe dicit: Nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur, et uiuat. ostendat autem lugendum esse, quòd nosmetipsos ignoremus, ac per-

dite nimium diligamus, quòd in huius uitæ peregrinatione, non secus ac si nunquam essemus morituri, nobisipsis placentes, non Deo uiuamus: quòd imaginem Dei, ad quam formati sumus, deturpemus: quòd exules, obliti cœlestis patriæ, hunc mundum patriam nostram esse ducamus, hæredesq. amplissimi regni hæreditate nosmetipsi priuemus: quod filij Dei adoptiui, et fratres Christi, eius preciosissimo sanguine redempti, filij diaboli, culpa, et ignauia nostra, efficiamur: quòd puluis, cinis, umbra cum simus, multa nobis arrogemus; et in hominibus, quorum proprium est decipi, et decipere, spes collocemus; charitatis, quæ est uirtutum omnium anima, expertes, nec patientes simus, nec benigni, plerunque inuidi: quæramus tantum quæ nostra sunt: cupidiores huius uitæ, quam oporteat, in Dei uoluntate non conquiescamus, nimium sæpe studium in rebus non necessarijs ponentes, tempus conteramus, uerborum aucupes, inanis gloriolæ cupidi, semper discentes, et nunquam ad scientiam peruenientes, uulgus pessimum magistrum sequamur, adulemur nobismetipsis, dulci laudum ueneno delectemur, ueluti morbo phrænetici diuinitus nobis traditas medicinas auersemur, in rebus aduersis animum abijciamus, in prosperis efferamur: lugendum esse, quòd uarijs huius uitæ fluctibus, aut non perueniamus ad portum, aut in portu naufragium faciamus: quòd in huius uitæ militia, aut simus transfugæ, aut, si interdum ad Christi castra reuertamur, miserabiliter uincamur: quia ea, qua opus est animi constantia, sub uexillo Christi non militamus: lugendos communes orbis terræ morbos, nusquam tutam fidem, uirtutē plerunque iacere, innocentes opprimi, improbis honores deferri. Hoc autem in primis lugiendum est contaminatam atque corruptam esse Domini nostri Iesu Christi sanctissimam religionem, peste uariarum hæresum: sanctæ Ecclesiæ matris nostræ, nouos quotidie inimicos exoriri, regnare impietatem, dominari crudelitatem, imperare tyrannicam libidinem.

libidinem: quo loco de calamitatibus reipublicæ christianæ, et de Turcarum tyrranide, multa accommodari possunt hoc tempore: et locus ille Hieremiæ explicandus; Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontes lachrymarum, et plorabo die ac nocte interfectos meos? non lugendos esse, qui mortui sunt, pro illis potius orandum, uitam hanc esse ludum, somnium, nequaquam stabilem, motum aeris præteruolantis, nauis mare, nauigantis uestigium, uaporem, rorem matutinum, florem mane uirentem, uespere marcescentem, multa commoda afferre mortem, statuere terminum peccandi, uarijs periculis, et calamitatibus homines liberare, præbere aditum ad æternam, et beatam uitam, ut præclare in quodam opusculo de bono mortis sanctus scribit Ambrosius:

Quomodo excitare poßint auditores ad Ieiunium. CAP. XV.

POENITENTIAE pars et uirtutum christianarum parens, ac custos est ieiunium. Quare ostendat Ecclesiasticus orator, ieiunium ad iram Dei placandam, et peccata expianda, sed sæpe etiam ad impetrandum aliquid a Deo, adhibitum fuisse. Niniuitas, auditis illis uerbis; Adhuc tres dies, et Niniue subuertetur, illico ad ieiunium uniuersos confugisse, ubiq. saccum, ubiq. cinerem, ubiq. fletum, et eiulatum, atque sic urbem periculis ereptam fuisse: Moysem, et Eliam, si quando ad Deum uolebant accedere, et quantum homini fas est, alloqui, a ieiunio opem petijsse: Danielem leonum lacum ieiunium ingredientem, mitem ab immitibus illæsum, redijsse: tres pueros apud Babiloniam, caminum ingressos, atque in igne multo tempore colloquentes, egressos igne ipso, fulgidiora corpora habentes; quoniam corporum natura, ieiunio corroborata, cum natura ignis certabat, indeq. ipsa uictoria secuta est. Quam rem explicans Ecclesiasticus orator, per interrogationem dicet: Audistis pugnam ad-

mirattone

miratione dignam? audiſtis nouam, inauditamq. uictoriam? Ieiunium igitur miramini, alacriq. animo illud ſuſcipite; quoniam, et in camino fert opem, et in leonum lacu cuſtodit, demones fugat, et Dei reuocat ſententiam, ſcelerum furorem reprimit, et in ueram libertatem uindicat, ſummamq. pacem, et tranquillitatem affert. Quod ſi Deus hominem a principio condens in Paradiſo, eum ieiunij lege uoluit cohibere, cum dixit: De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, et mali ne comedas; multo magis illud extra paradiſum neceſſarium dicendum eſt: ſi ante plagam utilis medicina fuerat, multo magis poſt plagam. ſi nondum bello uoluptatum inſurgente, nobis arma fuerant opportuna, multo magis poſt uoluptatum, uitiorumq. prælium a demonibus nobis illatum: et ſermonem concludens, oſtendat neceſſario nobis bene uiuendum, a ieiunio auxilium eſſe petendum. quam uocem ſi Adam, communis generis humani parens, et calamitatis humanæ auctor, audiuiſſet, nequaquam illam ſecundam audiuiſſet: Terra es, et in terram reuerteris.

Qua ratione excitandi ſint auditores ad miſericordiam. CAP. XVI.

DOLORIS ſpecies, eſt miſericordia, quæ naſcitur ex miſeria alterius, iniuria laborantis. quo loco tacitæ chriſtianus orator obiectioni reſpondeat, ſiquis duritiem cordis ſui, ita defendat; quòd qui inopia, et calamitate premuntur, ea miſeria digni ſunt: tunc per increpationem dicat; neminem non eſſe multis peccatis obnoxium, eos qui huiuſmodi uoces proferunt, maxime peccare, cum ipſi miſericordia egentes, Dei partes ſibi aſſumant. S. Gregorius Nazianzenus ad hanc uirtutem populum excitans, in exordio orationis de amandis pauperibus, auditores omnes appellat pauperes, et egentes gratia Dei: et S. Chryſoſtomus ſermonem ſcripſit, quo oſtendit, curioſe non eſſe ſcrutandum boni an mali ſint pauperes. quod cum

optimus

optimus quidam uir animaduertisset, dicere consueuerat, se aliquanto libentius prauis hominibus eleemosynas largiri, si forte ea ratione, eo beneficio, quo, teste conscientia, se indignos agnoscunt, dent gloriam Deo, et ad pœnitentiam erudiantur. Multæ sanctorum patrum leguntur orationes de eleemosyna, in quibus præclaræ cohortationes reperiuntur. Locorum autem hæc est summa, omnes esse pauperes, omnes egere misericordia Dei, solos tamen illos esse miseros, qui carent misericordia: artem quæstuosissimam esse eleemosynam, misericordiæ filiam, licitam, et sanctam quandam fœnerationem, distributionem pecuniarum in pauperes: diuites auaros esse fraudatores, raptores: quo quis plures habet filios, eo diligentius eleemosynis ei inuigilandum; ut propitium Deum eis efficiant, ut S. scribit Cyprianus. illud etiam B. Ambrosii est inculcandum: Non pauisti, occidisti: et illud repetendum, mandasse dominum unicuiq. de proximo suo: eius esse terram, et plenitudinem eius, orbem terrarum, et uniuersos, qui habitant in eo; diuites esse dispensatores diuitiarum Dei; eleemosynam peccatum extinguere, maximum esse beneficium, ut inquit Cyprianus, tam salutare, et tam facile nobis relictum remedium.

Quomodo excitanda sit misericordia erga mortuos. CAP. XVII.

MISERABILES etiam sunt quidam mortui, nimirum illi, qui in Purgatorio degunt: quorum sordes, hoc est ea peccata, quæ iusta pœna, et satisfactione prorsus deleta non fuerunt, Purgatorio, hoc est, ut D. Augustinus scribit, emendatorio igne, purganda sunt. Aduersus eos excitanda est misericordia nobilissima, et uere christiana commotio: ut qui audiunt, non solum misereantur animæ suæ, quod misericordiæ est caput, et eorum, qui uiuunt, auxilio egentium; sed misereantur etiam mortuorum, egentium maxime suffragijs nostris, sanctis sacrificijs sacerdotum, orationibus,

miratione dignam? audiſtis nouam, inauditamq. uictoriam? Ieiunium igitur miramini, alacriq. animo illud ſuſcipite; quoniam, et in camino fert opem, et in leonum lacu cuſtodit, demones fugat, et Dei reuocat ſententiam, ſcelerum furorem reprimit, et in ueram libertatem uindicat, ſummamq. pacem, et tranquillitatem affert. Quod ſi Deus hominem a principio condens in Paradiſo, eum ieiunij lege uoluit cohibere, cum dixit: De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, et mali ne comedas; multo magis illud extra paradiſum neceſſarium dicendum eſt: ſi ante plagam utilis medicina fuerat, multo magis poſt plagam. ſi nondum bello uoluptatum inſurgente, nobis arma fuerant opportuna, multo magis poſt uoluptatum, uitiorumq. prælium a demonibus nobis illatum: et ſermonem concludens, oſtendat neceſſario nobis bene uiuendum, a ieiunio auxilium eſſe petendum. quam uocem ſi Adam, communis generis humani parens, et calamitatis humanæ auctor, audiuiſſet, nequaquam illam ſecundam audiuiſſet: Terra es, et in terram reuerteris.

Qua ratione excitandi ſint auditores ad miſericordiam. CAP. XVI.

DOLORIS ſpecies, eſt miſericordia, quæ naſcitur ex miſeria alterius, iniuria laborantis. quo loco tacitæ chriſtianus orator obiectioni reſpondeat, ſiquis duritiem cordis ſui, ita defendat; quòd qui inopia, et calamitate premuntur, ea miſeria digni ſunt: tunc per increpationem dicat; neminem non eſſe multis peccatis obnoxium, eos qui huiuſmodi uoces proferunt, maxime peccare, cum ipſi miſericordia egentes, Dei partes ſibi aſſumant. S. Gregorius Nazianzenus ad hanc uirtutem populum excitans, in exordio orationis de amandis pauperibus, auditores omnes appellat pauperes, et egentes gratia Dei: et S. Chryſoſtomus ſermonem ſcripſit, quo oſtendit, curioſe non eſſe ſcrutandum boni an mali ſint pauperes. quod cum

optimus

optimus quidam uir animaduertisset, dicere consueuerat, se aliquanto libentius prauis hominibus eleemosynas largiri, si forte ea ratione, eo beneficio, quo, teste conscientia, se indignos agnoscunt, dent gloriam Deo, et ad pœnitentiam erudiantur. Multæ sanctorum patrum leguntur orationes de eleemosyna, in quibus præclaræ cohortationes reperiuntur. Locorum autem hæc est summa, omnes esse pauperes, omnes egere misericordia Dei, solos tamen illos esse miseros, qui carent misericordia: artem quæstuosissimam esse eleemosynam, misericordiæ filiam, licitam, et sanctam quandam fœnerationem, distributionem pecuniarum in pauperes: diuites auaros esse fraudatores, raptores: quo quis plures habet filios, eo diligentius eleemosynis ei inuigilandum, ut propitium Deum eis efficiant, ut S. scribit Cyprianus. illud etiam B. Ambrosii est inculcandum: Non pauisti, occidisti: et illud repetendum, mandasse dominum unicuiq. de proximo suo: eius esse terram, et plenitudinem eius, orbem terrarum, et uniuersos, qui habitant in eo; diuites esse dispensatores diuitiarum Dei; eleemosynam peccatum extinguere, maximum esse beneficium, ut inquit Cyprianus, tam salutare, et tam facile nobis relictum remedium.

Quomodo excitanda sit misericordia erga mortuos. CAP. XVII.

M*ISERABILES etiam sunt quidam mortui, nimirum illi, qui in Purgatorio degunt: quorum sordes, hoc est ea peccata, quæ iusta pœna, et satisfactione prorsus deleta non fuerunt, Purgatorio, hoc est, ut D. Augustinus scribit, emendatorio igne, purganda sunt. Aduersus eos excitanda est misericordia nobilissima, et uere christiana commotio: ut qui audiunt, non solum misereantur animæ suæ, quod misericordiæ est caput, et eorum, qui uiuunt, auxilio egentium; sed misereantur etiam mortuorum, egentium maxime suffragijs nostris, sanctis sacrificijs sacerdotum, orationibus,*

nibus,

nibus, ieiunijs, et eleemosinis, ut remittantur eis pœnæ, et ab illa, in qua sunt calamitate, liberentur: superat enim, ut sancti homines scripserunt, ille dolor, illa calamitas omnes miserias, quibus humanum genus cruciatur. Hic autem locus commodissime tractari poterit eo die, quem orationibus pro mortuis sancta Ecclesia dicauit, et accomodari poterunt illa uerba Iob: Miseremini mei, saltem uos amici mei, quasi parentes mortui, atque etiam aui, et ataui illas uoces e loco Purgatorij emittere uideantur.

Qua ratione excitandi sint auditores ad timorem. CAP. XVIII.

TIMOR est, dolor ob malum imminens: omnia imminent mala non timentibus Deum. timere autem Deum est nihil eorum, quæ agenda præcepit, omittere, ut S. scribit Gregorius: ad quem excitandum, hi loci erunt aptissimi: timendum Deum, quia omnipotens, quia iustus, quia dominus: Omnipotens, dixit, et facta sunt, creauit uerbo omnia, eaque tuetur, ac regit. Iustus, rerum ordinem non patitur peruerti, honorem sibi adimi non permittit. Ciuitates, prouincias, regna ob peccata euertit: timendus, quia Dominus, quo nomine sæpe utitur: Ego dominus, ad terrendos eos, qui eius imperium non agnoscunt. Verba prophetarum tanquam diuinæ uoces, sunt proferenda: Dominus sanctus, et fortis, æmulator est, nec ignoscet sceleribus uestris: et si seruiatis dijs alienis conuertet se, et affliget uos, atque subuertet. tremendi iudicij sunt uoces illæ, quas Esaias proferebat: Vlulate, quia prope est dies domini, quia uastitas a domino ueniet, et uerba illa Ioelis: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia ueniet dies domini, quia prope est dies tenebrarum, et caliginis: atque illa Oseæ proferenda sunt: Audite uerbum domini filij Israel, quia iudicium domini cum habitatoribus terræ, non est enim ueritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra, maledictum,

ctum, mendacium, furtum, et homicidium, adulterium inundauerunt, et sanguis sanguinem tetigit. hoc lugebit terra, et infirmabit omnis qui habitat in ea. Iudicij extremi descriptio maxime pertinet ad hunc locum, quæ præclarissima est in oratione Gregorij Nazianzeni. cuius quædam uerba afferemus: Quid faciemus, inquit, eo die, cum nos coarguent peccata nostra, et aderunt acres, et acerbi accusatores, qui accepta a Deo beneficia, peccatis nostris opponent, et a nobis rationem exposcent? postremo nos abducent, a nobismetipsis condemnatos, et proprio iudicio ita conuictos; ut ne dicere quidem possimus, nos iniquo iudicio circumuentos, pœnas dare. quod quidem in maximis calamitatibus consolationem solet afferre: et paulo post, inquit, Eo tempore sedes proponetur, et antiquus dierum iudex sedebit, et libri aperientur, et igneus amnis fluet, et lux ex antiqua parte, et parata tenebræ, et quæ sequuntur. Inculcandum est sæpe neminem potuisse, nec posse effugere diuinam iustitiam, quo diutius dissimulat Deus peccata hominum, propter pœnitentiam; eo grauiores pœnas illos manere, qui in peccatis persistunt: uitæ breuitas, inopinata, et immatura multorum mors, ad timorem multos erudire solet: docent uarij morbi timorem Dei, docet sterilitas, docent uariæ calamitates, acerrimi aduersarij, quibuscum perpetua pugna nobis est, timorem maxime excitare debet, in primis diabolus, qui tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret: qui, ut sanctissimus scribit Basilius, postquam ab auctore suo defecit, inimicus Dei, hominis ad imaginem eius constituti, est factus; qui ideo dicitur sathanas, quia bono aduersatur: ita enim illa uox usurpatur in libro Regum impostor, calumniator, peccati impulsor, et accusator, qui interitu animarum gaudet, ad noua scelera committenda, exemplo aliorum semper inducens.

Quod ad timorem commouendi sint ij, qui rebus secundis efferuntur. CAP. XIX.

AD TIMOREM *excitandi sunt ij, quibus omnia e sententia eueniunt: ac propterea efferuntur, atque eis proponenda sunt illa uerba B. Hieronymi: Vbi tranquillitas, ibi tempestas est: quæ explicans Ecclesiasticus orator dicere poterit, tunc maxime oppugnari christianum, cum se oppugnari nescit, grauiores illos esse morbos, qui non sentiuntur: rerum affluentiam ac prosperitatem insolentiæ matrem esse consueuisse, quod exemplo Dauid confirmari potest, qui dum a Saul iniurijs afficeretur, dum persecutionibus agitaretur, dum per deserta fugeret, ne in eius manus incideret, semper innocentiam suam seruauit: et ideo dicebat, Tribulationem, et dolorem inueni, et nomen domini inuocaui. at ubi deuictis hostibus pace fruebatur, in spurcissima illa grauissimi adulterij, et homicidij peccata prolapsus fuit. Quare non immerito in suis psalmis cecinit: Noli æmulari in eo, qui prosperatur in uia sua. Ostendat igitur sapientes uiros, etiam apud ethnicos orare Deum solitos, ut aliqua ratione eorum prosperitatem temperaret. quod præceptum christianis in primis conuenit, quorum est proprium benefacere, et iniurias ferre: quibus cum acerrimis, et grauissimis inimicis pugna est proposita: qui nisi certent, coronam non consequuntur, quos semper decet esse pauidos, et ueluti peregrinos, de cælesti patria semper esse sollicitos. moneat praterea, ut populus in rebus prosperis, inconstantiæ huius mundi recordetur; mortem, quæ longe abesse non potest, ante oculos habeat: Deum largitorem omnium bonarum rerum agnoscat, multos sanctitate, et doctrina, et uarijs uirtutibus insignes sæpe commemoret, quibus dominus tantam bonorum copiam est largitus, ut propria peccata crebrius, et libentius, quæ cæteri cogitent, ut ea cõfiteantur, ut ad magis cognoscenda diuina beneficia, et ad gratiarum actionem excitentur*

quos

quos fortaße alloquebatur propheta cum dicebat: Seruite domino in timore, et exultate ei cum tremore: quæ uerba interpretans B. Augustinus inquit: exultatio ut gratias agamus, timor ne cadamus.

Quomodo auditores ad uerecundiam sint commouendi. CAP. XX.

DICAMVS de pudore, siue uerecundia, quæ cum timore magnam affinitatem habet. nihil autem est aliud pudor, siue uerecundia, quam quædam extenuatio animi, ex malis orta præsentibus, præteritis, atque futuris, ob quæ subeunda sit ignominiæ alicuius nota. Hæc affectio est digna christiano, ad quam excitari auditores debent, argumentis in primis sumptis a contrarijs, cum nihil poßit esse tam alienum a christiano, quam impudentia, quæ est contemptus earum rerum, quas uerecundi maxime reformidant, flagitiorum magistra, disciplinæ aduersaria, superbiæ filia, calamitatum socia. Excitandi sunt auditores ad pudorem, et ad uerecundiam; et declarandum, quam sit turpe deserere aciem Christi, et transfugere ad sathanam, quam sit ignominiosum membra Christi contaminare, imaginem Dei transformare in naturam bestiarum. quod uoluptatibus in primis fit: turpißimum autem est a fide parentum recedere, extra Ecclesiam uiuere, sanctißimis sacramentis, ueluti cibo non ali.

Quomodo excitandi sint auditores ad gaudium. CAP. XXI.

GAVDIVM, est affectio animi alicuius præsentis boni, opinione concepta. Ad gaudium excitari possunt auditores, commemoratione maximorum beneficiorum, quæ diuinitus nobis collata sunt; in primis in solemnitatibus, quas sancta Ecclesia, a Spiritu sancto edocta, celebrat, et fidelibus tanquam diuinæ bonitatis atque clementiæ compendia proponit: Gaudete, in-

quit D. Paulus ad Tessalonica, in domino semper, sine intermissione orate, gratias agite. quæ uerba cum B. Basilius duobus sermonibus explicaret, ostendit, cum gaudio orationem, cum oratione gratiarum actionem esse coniungendam: gaudendum est, ut sanctus ille uir dicebat, cogitatione, quod cum nihil essemus, homines facti sumus, ad imaginem cæli, et terræ Domini, mente, et ratione præditi, quia Deum cognoscimus, et creatoris pulchritudinem, artes, et disciplinas percipimus: ac ueluti per quasdam notas Dei prouidentiam, et sapientiam legimus, discernimus bonum a malo, bonum appetere, et malum fugere a natura sumus edocti, alienati a Deo ob peccatum, iterum pretio sanguinis D. N. Iesu Christi gratiam recuperauimus, a miserrima sathanæ seruitute liberati. Spes resurrectionis, bonorum angelorum expectatio, cæleste regnum sancto gaudio nos implent: eiusdem patris, qui est omnium pater, omnes sumus filij, eandem sanctam Ecclesiam, cuius lacte enutriti sumus, habemus matrem: communis omnium christianorum hæreditas est. Nemo igitur debet non gaudere, immo indicium bene constituti animi est gaudium: Gaudendum omnibus, non solum rebus prosperis, quibus ad gratiarum actionem excitamur; sed etiam rebus aduersis, quia dum nos corrigit Deus, ut uere filios, non autem ut adulterinos uidetur diligere: gaudendum, quod nobis, grauissimis morbis laborantibus, non deest medicus, neque medicina, Christus Iesus: quòd nobis in huius uitæ peregrinatione tutissimam uiam demonstret, in hac erroris caligine, ueritatem aperiat, in hac umbra mortis, uitam nobis præstet: gaudendum, quòd oratione in cælum, quasi ascendamus, quia diabolo, ut inquit Hilarius, possumus resistere: sed in primis gaudendum, quòd per eam cum Deo coniungimur: gaudendum maxime paterna Dei prouidentia, et ea cura, quam de nobis habet. Sanctus ille propheta Hieremias, ecclesiam ad lætitiam incitat, his uerbis: Hæc dicit dominus

minus, audietur in loco isto uox gaudij, uox sponsi, et uox sponsæ, uox dicentium, confitemini domino exercituum, quoniam bonus dominus, quoniã in æternum misericordia eius: et Baruc: Exue te Hierusalem stola luctus, et uexationis tuæ, et indue te decore, et honore, quia in Deo tibi est sempiterna gloria, circundato te diploide a Deo iustitiæ, et impone mitram capiti tuo honoris æterni: Deus enim ostendit splendorem suum in te qui sub cælo est. Ad sanctum gaudium populus excitabitur, cum de frequentia sacramentorum sermones habebuntur, panem esse, qui de cælo descendit, ut si quis illum manducauerit, non moriatur, panem uitæ, salutarem animæ nostræ cibum: licere nobis, si uolumus, uesci ambrosia illa cælesti, et cum Christo coniungi, quo nihil potest esse præstantius, aut optabilius: Gaudendum esse tanto, et tam cælesti beneficio, quod diuinitus nobis concessum est. quotidianum esse panem, non esse semel in anno sumēdum, quo sæpius eum quis sumit, eo tranquilliorem uitam agere. Ad lætitiam etiam, et ad christianum gaudium excitare solent populum concionatores, nuntiantes plenarias Indulgentias, siue Iubilæa, quæ ita Spiritu sancto edocente summi Pontifices, Christi uicarij, fidelibus largiri iustis de causis consueuerunt: lætandum esse orator Ecclesiasticus dicet christianis, quòd post multa peccata, quæ grauiter punienda essent, postquam is, qui solus delet iniquitates, Deus culpam sacramento pænitentiæ nobis remiserit, dispensator bonorum, Ecclesiæ administrator, Christi uicarius Romanus Pontifex pœnas etiam remittat, ex meritis pretiosissimi sanguinis Christi, cuius una gutta sufficeret ad redimendos omnes, qui fuerunt, qui sunt, et qui futuri sunt homines; ex meritis itidem B. Mariæ uirginis, sanctorum omnium, precibus fidelium; ut pœna, qua digni eramus liberemur, misericordiæ, et indulgentiæ diuinæ participes efficiamur. Verum tanto beneficio addendum, est neminem posse gaudere, qui sanctissimo pænitentiæ

sacra-

ſacramento a Deo peccatorum ſuorum ueniam non impetrauerit; qui uitam, ut D. Auguſtinus ſcripſit, non mutauerit, ut uitam acciperet Sanctißimam Euchariſtiam.

Quomodo conſolandi ſunt ij, qui rebus aduerſis animo deiecti ſunt. CAP. XXII.

CVM multis et uarijs periculis hominum uita ſit expoſita, et multa quotidie accidant, quibus, quæ naturæ humanæ eſt infirmitas, maxime perturbamur; ideo infirmum, ne dicam miſerum, animal homo, ſæpe conſolatione maxime indiget. quam nobis ſic liceat deſcribere: dolorum, et ſollicitudinum moderationem a recto iudicio, et a ſpe diuinæ prouidentiæ, et paternæ ipſius gubernationis profectam: cuius totius conſolationis, cum ſit Deus idem, qui eſt pater miſericordiarum, excitandus eſt populus, ut e cælo conſolationem in rebus aduerſis petat, et expectet, ad quam orator Eccleſiaſticus populum ita poterit excitare, exemplo illorum, qui ex tribulationibus in primis maximam utilitatem ceperunt, ut Ioſeph, qui in exilio, et in terra paupertatis ſuæ, ad eum dignitatis gradum peruenit, ut uniuerſæ Aegypto præficeretur: filij Iſrael, quanto magis ab Aegyptijs opprimebantur, tanto magis multiplicabantur, et creſcebant: exul Ezechiel in Caldæa, in medio captiuorum uidit admirabiles Dei uiſiones: Nabuchodonoſor rex in rerum proſperitate arrogans, et ſuperbus, ab hominibus eiectus fuit, et in beſtiam commutatus, tandem ſenſum, quem amiſerat, recuperauit; quia, quem prius blaſphemauerat Deum, laudauit. quibus, et plurimis alijs exemplis oſtendere poterit orator, rebus aduerſis affligi, et tentari homines, aut, ut eorum uirtus, tanquam aurum in fornace probetur, atque exerceatur; aut, ut eorum peccata expientur. Tribulationes, et tentationes, dicat orator (utimur his, et quibuſdam alijs nomini-

bus

bus in Ecclesia usitatis, quia oratorem Ecclesiasticum informare studemus) erudire homines, ad multas uirtutes, ad humilitatem, ad patientiam, et in primis ad prudentiam: Deum hac ratione reprimere illos, qui rebus secundis insolentes fiunt: tribulationem esse pædagogum ad timorem Dei, esse expultricem contumeliæ, incontinentiæ, uanitatis: uerißimas esse illas sententias: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum: et, Iuxta est dominus ijs, qui tribulato sunt corde: nullum esse malum, ex quo elici non poßit bonum. quod docens S. Chrysostomus, in quodam sermone inquit: Passus es malum? si uis non est malum, gratias age Deo, et est bonum. quod præclare cognouerat uir ille diuino numine afflatus, qui in maximis tribulationibus constitutus, dicebat: Per singulos dies benedicam te, et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi. addat mala, quæ nobis accidunt, plerunq. nobis accidere propter peccata, quod S. Gregorius Nazianzenus in oratione de plaga grandinis, affirmare uisus est; cum præclarißima peccatorum enumeratione, ostendit grandinem diuino consilio e cælo cecidisse. cuius aliquas sententias, quibusdam mutatis, quibusdam etiam additis, commemorans Ecclesiasticus orator dicere poterit: omnes calamitates oriri, quia alius pauperem oppreßit, terræq. partem occupauit, alius limites suos scælerate, uel fraude, uel ui extendens domum domui, et agrum agro adiunxit: ut uicino aliquid extorqueret, et hoc maxime studuit, ut uicinum nullum haberet; perinde ac si solus esset habitaturus in terra, quia alius usuris terram fœdauit, colligens ubi non seminauit, ac metens, ubi non sparsit: non ex cultura, sed ex pauperum egestate, et penuria diuitias suas auxit: quia alius decimis Deo debitis, eundem cæli, et terræ principem defraudauit, immemor maximorum, quæ accepit beneficiorum: quia alius nec uiduæ, nec orphani calamitatibus commotus, nec panem, cibumq. exiguum

pauperi, immo Christo dedit: quia alius humiles contempsit, alius monentem odio habuit, alij obliti eorum uerborum: Benedictus dominus, quoniam diuites facti sumus: opes industriæ suæ, Deo acceptas, non retulerunt: alij frumentum mercati, sordidum quæstum ex eius caritate captantes, illa uerba proferunt: quando effluet mensis, ut rerum pretia augeamus, et thesauros recludamus? inde calamitates, diuina exigente iustitia, oriuntur: ideo grandines de cælo cadunt, ideo terræ motus uastant ciuitates, et horribiles fluuiorum inundationes, ideo fame, peste, bello, sæuissimisq. tyrannis, tanquam instrumentis, utitur Deus, ad conuertendum populnm suum: sed ualde deplorandum est, quod sicut eodem igne aurum rutilat, palea fumat; ita una eadem afflictionum uis, multos quidem ad præclarissimas uirtutes exercet, sed plerosq. damnat, perdit, exterminat: quoniam omnes suas cogitationes, et spes, cum in rebus hisce fluxis, et caducis, non in Deo fixas, et locatas habeant, diuinam uoluntatem non agnoscunt, et amore proprio decepti, ignorant multo melius esse probari, et tentari; quam non tentari, et reprobari. Quare tractet orator non esse miserum corripi a domino, plagis affici a patre, cum ipse dixerit: Quos amo, corrigo, et castigo. cumque ipse fidelis Deus, non patiatur nos tentari supra id quod possumus, sed miserrimum esse, plagis cælestis patris non fieri meliorem.

Quomodo excitandi sint auditores ad spem. CAP. XXIII.

SPES est expectatio boni, ad quam excitant christianos homines, Dei bonitas, Christi passio, et multorum martyrum beatæ mortes, quibus ad uitam peruenerunt æternam. Pulcherrimus est locus B. Gregorij Nazianzeni qui Ioelis sententiam proferens, Quis scit, si conuertatur dominus, et benedictionem relinquat? ipse subiungit: ego plane scio, et sum diuinæ misericordiæ sponsor.

cum

cum enim ira diuinæ naturæ aduersetur, sine dubio, si uoluerimus, ad uirtutem, eius naturæ maxime propriam, ad misericordiam conuertetur. In solennitatibus autem in primis ad spem Ecclesiasticus orator excitare poterit, ut sanctißimo die natalis Domini, si ad populum, qui eo die ad Ecclesiam frequens conuenire solet, sermonem habebit, dicet uenisse in mundum filium Dei, ut cæli ianua aperiretur, factum hominem, ut nos aliquo modo dij efficeremur: illum esse diem redemptionis nostræ, reparationis antiquæ, et fœlicitatis æternæ: sublatos esse errores, quoniam uenit magister ad ignorantiæ tenebras depellendas; ad morbos animi sanandos uenisse medicum: regem demum natum esse, qui tyrannidem diaboli deprimeret, et mortem etiam ipsam profligaret. Sed maxime cauendum clericis, ne spem in auditorum animis ipsi excitantes, inanem fiduciam, ut alio loco iam diximus, inducant, ex qua tot hæreses, tot calamitates profectæ sunt: quamobrem temperanda est semper oratio, ita ut dicat uenisse quidem Dominum in hunc mundum, ut uolentibus ingredi portas cæli aperiret; sanare quidem grauißimos morbos, quibus laboramus; sed minime sanare eos, qui medicum, et medicinam respuunt; magistrum esse omnium, minime autem infælicium, qui disciplinam negligunt. Si ad populum, timore imminentis periculi perterritum, habendus est sermo, ut hoc anno necesse fuit habere, quo misericordiæ Domini maxime apparuerunt, ut prophetæ uerbis utar, quia ab immanißimo Turcarum tyranno non solum consumpti non sumus, sed gloriosam etiam uictoriam, christiani principes reportarunt, afferendæ sunt prophetarum grauißimæ sententiæ, præsertim Isaiæ: Noli timere popule meus, Assur in uirga percutiet te, et baculum suum leuabit super te in uia Aegypti adhuc paululum, et modicum, et consumabitur indignatio mea, et furor meus super scelus eorum, et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum. quibus uerbis

ostendere poterit orator neminem unquam, qui in Domino sperauerit, confusum esse: hæc uerba locutum esse Dominum per prophetam: Requiescere faciam potentes, superbiam infidelium humiliabo.

Quod hæc sancta Respub. quæ dicitur Ecclesia, est ueluti corpus uarijs distinctum partibus, & quòd excitandi sint auditores, ut in propria uocatione maneant. CAP. XXIIII.

ET QVONIAM uniuersa christiani orbis respub. imaginem præ se fert nobilissimi cuiusdam corporis, præstantissima anima formati, dicat christianæ Reipub. animam esse religionem, corpus uero uaria hominum genera, quæ ueluti membra illius corporis nuncupantur: nobilissima membra sunt, sacerdotes, Dei ministri, inter quos sunt gradus, ita ut omnes a Christi uicario pendeant, eumq. in primis uenerentur; eius ueluti defensores, et charissimi filij sunt imperatores, reges, et principes, qui eo meliores sunt, quo magis a Dei ministris pendent, et sanctam matrem Ecclesiam consilio, et opibus, sanguine etiam ipso defendunt: hanc ipsam formam proponet Ecclesiasticus orator, ad hunc usum, ut doceat manendum unicuiq. in uocatione sua: imperare esse difficillimum sibi, nedum cæteris: quare non inuidendum sacerdotibus, non inuidendum regibus, orandum potius pro illis, consilio, ope, et diligentia iuuandos, ut onus sustineant; carere reges, et principes, episcopos etiam, et sacerdotes huius uitæ solatijs: eorum uitam plenam periculis, laboribus, et sollicitudinibus, plerunq. illos falli, ut illis detrahere magnum sit peccatum: recte illud dici posse, esse illos seruos, quia commodis aliorum ad illos in primis spectat seruire: et profecto si homines saperent, nihil esse tutius, nihil optabilius, quam parere, quam sibi uiuere, et ad uitam æternam, ad patriam nostram aspirare intelligerent; modo magistram quis iam non respuat, matrem, et nutricem sapientiæ,

ſanctam matrem Eccleſiam, nihil poteſt accidere, ex quo bonum quiſque non poßit excerpere. non bonos principes interdum eſſe, ueluti pharmaca diuinæ iuſtitiæ: ſi populus in uijs domini progrediatur, et orauerit, quos non bonos expertus eſt, diuino beneficio bonos euaſiſſe cognoſcet. Quare illa ſententia ſæpe eſt explicanda: omnem poteſtatem eſſe a Deo: parendum Pontifici, maximo, Chriſti uicario, et illis, quos conſtituit, epiſcopis, et parochis, ueluti miniſtris Dei, miniſtris diuinæ iuſtitiæ, aut diuinæ miſericordiæ, ita etiam regibus, et illis, penes quos ea in urbe, ſiue oppido eſt rerum adminiſtratio: ſæpe dicat occulto, ſed ſapientiſſimo Dei iudicio interdum fieri, ut qui minus digni ſunt, imperent, pareantq. illis ſapientiores: in quo argumento non diu morabitur. cum locus potius ſe obtulerit, uarias ſollicitudines principum, et eorum, qui rempublicam adminiſtrant, proponet, ad leuandam inuidiam illorum, qui priuatam uitam degunt, qui commoda priuatæ uitæ non conſiderantes, miſerabiliter plerunque afligun tur. Sed ob hanc cauſam in primis in hoc uerſabitur argumento, ut populum excitet ad amandos principes, a quibus gubernatur, et ad orandum Deum, ut illis ſubminiſtret ſpiritum conſilij, ut ueluti parentes populorum, eorum ſalutem propoſitam habeant.

Varia auditorum genera diſtingui poſſunt, aut natura, aut diſciplina, aut electione, aut occulto Dei iudicio. CAP. XXV.

DISTINCTIONEM auditorum aliqua diuiſione comprehendendam iudicamus, ut in oratoris animo facilius imprimatur. Itaque dicamus ut genera hominum, ita auditorum genera poſſe diſtingui, quatuor potiſſimum diſtinctionibus, aut natura, ut alij ſint mares, aliæ fœminæ, alij parentes, alij filij, alij ſenes, alij iuuenes: aut diſciplina, ſiue arte, ut alij ſint magiſtri, alij diſcipuli: electione, quia auditores quosdam ſibi ami-

cos deligant, ætate, moribus, et conditione pares. distinguantur etiam occulto quodam Dei iudicio, qua forma dicendi utimur, ne fortunæ mentionem, quam inane nomen sancti homines existimauerunt, faciamus: sic distinguuntur illi, quibus res omnes aduersæ accidunt, et illi, qui in rerum prosperitate uiuunt; distinguuntur reges a subditis, domini a seruis, pauperes a diuitibus, nobiles ab ignobilibus. Ad quorum omnium auditorum genera, Ecclesiasticus orator se accommodabit, hunc in modum. Mares sunt ad regendum aptiores, consilio, fortitudine præstantiores, quam fœminæ: hique monendi sunt, ne muliebris sexus imbecillitatem despiciant; sed potius ut sustentent, et tueantur, participes religionis, spei, fidei, et charitatis, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis, uirginitatis, ac etiam martyrij, factas fœminas; non minus gratum illum sexum præpotenti Deo, quam nostrum: pro eo etiam sanguinem D. N. Iesum Christum fudisse: B. uirginem eius matrem, ut omnium uirtutum exemplar, utrique sexui propositam. Mulieres uero excitandæ sunt, ut affectiones moderentur suas; ne nimis uelint, quod cupiunt: et quando uehementes in utranq. partem esse soleant, ad religionem, ad pietatis opera, animum conuertant: imbecillitate naturæ excitentur ad deuotionem, mollitie cordis ad domum lachrymarum, ad salutarem luctum incitentur. cum uero maxime distinguantur uiri, et fœminæ, coniunctione, et solutione matrimonij, hoc est coniugio, et cœlibatu; ostendat pluribus uerbis, nobilissimum et ualde expetendum cœlibatum, quia angelicæ naturæ est propior, et eo uarijs homines perturbationibus liberantur: moneat tamen ne cœlibes iunctos matrimonio contemnant, suum periculum considerent, uideant ne cadant, custodiant semetipsos, otium caput uoluptatum, et malorum omnium fugiant, orent sine intermissione, pijs operibus studeant, episcopos, et parochos suos adiuuent. Ad uiros orationem conuertens,

uertens, dicat accipiendas uxores cum timore Dei, amore filiorum magis, quam ardore libidinis; ut benedictionem in filiis consequantur: uerba illa Tobiæ iunioris proferenda: Filij sanctorum sumus: ita con iungi non debemus, sicut gentes, quæ Deum ignorant: et pluribus uerbis ostendet coniuges sancti matrimonij munera posse obire, sine peccato, eiusdem sancti sacramenti gratiam, fomitem, et carnalem concupiscentiam debilitare, et reprimere, atque a fornicationis, et adulterij uitijs præseruare, ardorem libidinis tẽperandum: inculcabit, uiro ualde diligendam uxorem, quia sunt duo in carne una, quia una est domus, una mensa, unus lectus, una possessio, eadem proles, cooperatio, subuentio, mutua in labore prouisio, ac necessariarum rerum procuratio: hanc ob causam dixisse Apostolum ad Ephesios: Viri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. subuenit calamitati Ecclesiæ Christus rex, et sponsus, consulit rebus necessarijs, adiuuat infirmitatem, procurat semper eius commoda: quo exemplo excitandi sunt uiri, ut instituant uxores, si aliquid discere cupiunt, patiantur interrogari, ut iubet idem Apostolus, illas doceant, ornamentum mulierum esse silentium, domus custodiam, et rei familiaris curam sine sordibus. Increpent, quando opus est, modeste, moderationem Iob imitantes, qui erranti, et insipienti mulieri, nihil aliud dixit, quam, Quasi una de mulieribus stultis locuta es: excitandi, ut habitẽt cum uxoribus suis, ut Christus habitat in Ecclesia: quo loco uerba illa principis Apostolorum recitabit: Viri estote cohabitatores uxoribus uestris, quasi imperfectiori uasculo impertientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ: quo loco exclamare poterit, coniungi quamplurimos matrimonio, non benedictionem Dei spectantes, sed uim pecuniarum, sed formam corporis, et affinitates: paucissimos esse, qui uxores suas instituant, reperiri quamplurimas, quæ articulos fidei nesciunt, ac præcepta legis christianæ non tenent: durissimos esse ple-

rosq. huius seculi uiros in uxores aut indulgentissimos: plurimos uxores fugere, quotidianam earum formam fastidientes, et minime illis cohabitare, plerunq. corpus suum fornicatione, aut etiam adulterio fœdantes. quem locum tractans, quod ei sæpe usu uenerit, ostendet, uxorem uiro debere fidelitatem, amorem castum, ut in primis cupiat uirum suum esse sanctum: petat a Deo, ut uir suus proficiat in uijs eius: debere etiam timorem, qui ab amore proficiscitur, subiectionem, obedientiam, reuerentiam: dicat Saram obedisse Abrahæ, illum dominum uocasse; iussisse etiam commemoret sanctum Apostolum mulieres subditas esse uiris suis, non permisisse dominari in uirum, sed ei subiectas esse, quibus explicatis deplorare interdum commodissime poterit, mulierum quarundam insolentiam, et superbiam, quæ quoniam magna dote nupserunt, aut quoniam uiri sui, quod possent imperium, in eas non exercent, ipsæ in illos crudelissimam exercent tyrannidem, infideles plerunq. tantum abest ut pro uiris suis orent, ut deberent, ut illos ad insaniam suis iurgijs studeant redigere, audacissime uiros contemnant suos; regnare, non subiectas esse; dominari, non parere; coli a uiris suis, non reuerentiam eis exhibere uelint. qui locus profecto est exaggerandus, cum uerissimum sit illud quod de Lacedemonijs scriptum est: dimidia fœlicitate carere illas ciuitates, in quibus recta non est mulierum disciplina.

Quo modo commouendæ sint mulieres. CAP. XXVI.

CVM sæpe in cœtu mulierum sermones haberi consueuerint, cumque præcipua mulierum uirtus sit pudicitia, cuius corruptor est nimius cultus corporis; dabit operam Ecclesiasticus orator, ut a peruersa illa consuetudine fœminarum animos amoueat. Tractet illa uerba Tertulliani, eas commouens: Perit ille in tua forma si concupierit, et admisit iam in animo, quod concupiuit: et

et facta es mulier gladius illi; et addendum est, cur expingis te, ut alij pereant? ubi est illud praeceptum: Diliges dominum Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum? decorem non esse accusandum, ut fælicitatem corporis, et animæ: dicet urbanam uestem cauendam maxime ne noceat: ac illa in medium afferenda sunt per increpationem: displicet forma, quam uobis donauit Deus? in ipso arguitis, et reprehenditis omnium formarum ac totius mundi artificem, cum eam emendare, cum abijcere conamini, et ab aduersario additamenta sumitis, quomodo præcepta Dei custoditis lineamenta non custodientes? Dominus dixit: Quis uestrum potest capillum album ex atro facere? contenditis cum Deo impie: sumite de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depingite oculos uestros uerecundia, inserentes in aurem sermones Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi, caput maritis subijcite, et satis ornatæ eritis: uestite uos serico probitatis, bysso sanctitatis, purpura pudicitiæ, ita ornatæ Deum habebitis amatorem: ita ex Tertulliano, paucis mutatis, aliquibus etiam additis, fæminas ad pudicitiam excitabit Ecclesiasticus orator. Cum uero ille sexus sanctæ Ecclesiæ testimonio sit nobilitatus, eæ ad christianam hospitalitatem, ad opera pietatis, ad infirmorum curam excitandæ sunt, et proponenda sanctarum mulierum exempla, ut illud Sunamitis, quæ uirum deprecata, mansionem Elisæo ædificauit, in eaque lectum, et sellam, et mensam, et candelabrum posuit, ut præteriens haberet quo diuerteret: et illud uiduæ, quæ Eliam hospitio suscepit, eique cum nihil aliud haberet, quam, ut scriptura declarat, quantum pugillus capere potest farinæ, et paulum olei, omnia impertiuit. Ipse Mediolani sermoni interfui illius ciuitatis Archiepiscopi, Cardinalis Borrhomæi, qui habitus fuit ad matronas, ut ad pietatis opera excitarentur. quibus, cum S. Helenæ Constantini imperatoris matris exemplum esset propositum, nimirum ut illa crucem

Christi quærebat, ita ipsæ eundem Christum in pauperibus quærerent, eique ministrarent, miro pietatis studio accensæ fuerunt. hæc sunt opera digna, quæ a mulieribus uere nobilibus, et præsertim a uiduis, quæ non habent uiros, qui eas interpellent, exerceantur. deinde hortandæ sunt ad fundendas ad Deum preces, illis Apostoli uerbis: Quæ uere uidua est, instet obsecrationibus, et orationibus die, ac nocte, ut Anna illa prophetissa faciebat, quæ usque ad annos octoginta quatuor non discedebat de templo, ieiunijs, et obsecrationibus, seruiens nocte ac die. Ad has uirtutes B. Augustinus in libro de uiduis, uiduã his uerbis adhortatur: Esto sancta, humilis, et quieta, misericordiæ, et iustitiæ opera indesinenter exerce, et quisquis te in opprobrium habeat, quisquis te subsannet, et inuideat, tu tantum Deo placeas, et quæ Christi sunt geras: ante omnia incessabiliter domini tui meditare mãdata, orationibus, et psalmis instanter incumbe, et si fieri potest, nemo te aliquando, nisi aut legentem inueniat, aut orantem. Virgines uero cohortandæ sunt ad taciturnitatem, quia qui custodit os suum, et linguam suam, custodit ab angustijs animam suam: ad humilitatem, quia dominus respicit humilitatem ancillæ suæ: ad castitatem animi, et corporis, quia mulier innupta, et uirgo cogitat, quæ domini sunt: ut sit sancta, et corpore, et spiritu: ad modestiam, ne cum sint filiæ Dei, sponsæ Christi, angelis quam simillimæ, impudentia sua in laqueos mali dæmonis incidant. Verum nihil est, quo uehementius fœminæ ad omnes uirtutes excitari possint, quam exemplo B. Virginis Mariæ, matris Domini, reginæ cœli, et terræ, aduocatæ nostræ. Quare recitanda erunt ea, quæ in lib. de uirginibus S. scripsit Ambrosius, quorum hæc est summa: uitam B. Mariæ non fœminarum solum, sed humani generis fuisse disciplinam: uirginem fuisse corpore, et mente, humilem corde, uerbis grauem, prudentem, non loquendi, sed legendi studiosam, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis

peris

peris ſpem reponentem, intentam operi, uerecundam ſermone, ſolitam arbitrum mentis ſolum Deum quærere, neminem lædere, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare uirtutem, prodire domo neſciam, niſi cum ad eccleſiam conueniret, et hoc ipſum cum parentibus aut propinquis. cum his moribus, fæminarum mores comparans orator, eas increpabit, ad imitationem illius, quam uenerantur, cuius auxilium implorant, cuius humilitate, et obedientia, infamia fæminei ſexus deleta eſt, excitabit.

Quo modo commouendi ſint parentes, et filij. CAP. XXVII.

IAM uero quia inter auditores chriſtianos, multi ſunt patres, multi ſunt filij, et filius ſapiens eſt gloria patris, ita filius inſipiens, et peruerſis moribus præditus, non ſolum eſt ignominia, ſed etiam calamitas patris: excitandi ſunt filij, ut non immemores tantorum beneficiorum, quæ acceperunt, et obliti maximorum laborum, quos pertulerunt parentes ſui, præcipuo amore, ut paulo ante diximus, illos non ſolum diligant, ſed eis etiam obediant in omnibus, quæ ad adminiſtrationem domus, reiq. familiaris pertinent; hortationes, obiurgationes, et ſalutaria medicamenta, ut maxima indicia, amoris, accipiant: intelligant filij ſe erga parentes ſuos ſatis gratos eſſe non poſſe, illos omnibus honoribus proſequantur. et uerba illa Tobiæ quæ magnam uim habent ad commouendum, explicet ſæpe Eccleſiaſticus orator: Honori ſemper habebis matrem tuam, memor enim eſſe debes quanta pericula paſſa ſit in utero ſuo propter te: et quod alio in loco ſcriptum eſt, dicat: Gemitus matris ne obliuiſcaris: malæ famæ eſſe qui dereliquit patrem, et maledictum a Deo qui exaſperat matrem: ſuccurrendum parentibus, eorum uitam ſuſtentandam, triſtitia non eſſe efficiendos: uituperandos maxime, qui clandeſtinis matrimonijs eos conturbant, iuſtiſſimo Dei iudicio ſæpe accidere, ut clan-

destina matrimonia, pœnitentia, calamitas, ac etiam infamia consequatur. Exclamet interdum Ecclesiasticus orator, peruersos filiorum mores commemorans, et calamitatem multorum parentum ante oculos ponens, peruersitatem, et contumaciam filiorum suorum, esse pœnam eorum indulgentiæ, esse medicinam, qua eorum mollities sanari posit: quo loco in medium proferat, et pluribus uerbis explicet sententiam illam Salomonis in prouerbijs; Qui diligit filium suum, instanter erudit eum: et dicat, a natura insitum esse, ut parentes filios suos tueantur, et nutriant, atque a sancta religione, in qua nati, et educati sumus, hoc singulis impressum esse parentibus, ut a peccatis, quantum in ipsis est, eos reprimant, in bonis moribus instruant, corripiant, quando opus est, ac etiam puniant: stultitiam esse in corde pueri, uirgam disciplinæ fugare eam: eum qui parcit uirgæ, odio habere filium suum: multos parentes in perpetuam calamitatem incidisse, quia negligentia sua, aut indulgentia, filij sui deteriores euaserunt: hæc a parentibus postulari, ut filij in ijs erudiantur, quæ ad religionem christianam pertinent: eum, qui docet filium suum, ut scripturæ sacræ uerbis utamur, laudari in illo, et in obitu suo non tristari: filium sapientem lætitiam afferre patri suo: filium stultum mæstitiam esse matris suæ. Multa occurrent hoc loco, quibus, ignauiam parentum multorum Ecclesiasticus orator posit reprehendere; quod multi corrumpunt filios suos exemplo: quod ultionum eos ministros atque hæredes, ut perpetuo sint miseri, efficiunt: quod eos discipulos atque adiutores ad occidendos homines usura, multi exhibeant: quod duritia sua, filios suos ad iracundiam prouocent, et ita prouocent, ut pusillo, ut inquit Apostolus, animo fiant; quod plerunq. accidit incontinentibus patribus, qui nouis aut nouercarum, aut meretricum amoribus irretiti, paterni amoris obliuiscuntur: quorum ignominia, ante oculos auditorum, interdum Ecclesiastico oratori est ponenda; eorum maxime,

xime,

xime, qui, patrimonium quod a parentibus acceperunt, et filijs suis deberent relinquere, iam imminuerunt.

Quo modo commouendi sint senes. CAP. XXVIII.

QVIA diximus distinctos auditores etiam ætate, ut alij sint senes, alij iuuenes, alij media ætate consistentes, hac sumus contenti distinctione; quia exquisitam illam distinctionem ætatum, non est necesse in medium proferre. Ad senes conuertendus est sermo: qui ob usum rerum, quem habent, cum metuant falli, sint suspiciosi, sint timidi, sint auidi, sint difficiles ad sperandum, sint etiam plerunq. inuerecundi: Ecclesiasticus orator cum illis ita agat, ut ostendat, hoc illis tantum metuendum esse, ne a se ipsis lædantur, ne se ipsos ignorent, ne nimium seipsi fallant, ne temere iudicent, honores huius sæculi, opes, quibus tantopere delectantur, suspectas habeant: illam timiditatem, quæ, refrigescente calore, illis inest, conuertant ad humilitatem amplectendam: confidant in Domino, in quo, qui confidit, nunquam confusus est: prudentiam suam, qua didicerunt fallaces esse hominum spes, et incertas cogitationes, non tanti faciant, ut promissiones Dei, eiusq. liberalitatem, eadem mensura, qua pollicitationes mundi, qui cum sit hypocrita, semper decipit, metiantur: si qui, eos magnifacere non uidentur, non admodum curent: uereantur Deum, cuius oculis patent omnia: misericordiam, ad quam, naturæ quadam infirmitate, sunt inclinati, exerceant: prosint consilio: auctoritate, qua possunt, doceant, quæ usus illos docuit: uicinorum filios, filios suos putent, hortentur, reprehendant, subueniant: si uero diuites sunt, quominus opibus egent, breui ex hac uita migraturi, eo libentius eas communicent egentibus: cum naturæ beneficio, tyrannide impuræ uoluptatis sint liberati, dent operam, ut honorum, et diuitiarum cupiditate se liberent: et ut in rebus humanis,

fluxis, et caducis, prudentia, et longo usu edocti, nihil audeant affirmare, addant quin potius semper, fortasse: ita etiam cum detractores, aut maledicos audiunt, inculcent, fortasse non ita se res habet: et cum in rebus agendis, moderationem quandam præseferant, eandem moderationem adhibeant in expetendis honoribus, in optanda hac uita. Ad hunc locum pertinent ea quæ S. scribit Apostolus ad Timotheum: Senes sobrij sint, pudici, modesti, sani in fide, in dilectione, in patientia: anus in habitu sancto, non criminatrices, non multo uino seruientes, ut prudentiam doceant. Cauebit Ecclesiasticus orator, ne senes increpet; hortetur eos potius ut patres; iuuenes ut fratres; anus ut matres; adolescentulas ut sorores in omni castitate: commemoret parum interesse, ætate quis an moribus sit iuuenis: delicato, et uoluptuario sene nihil excogitari posse infœlicius.

Quo modo commouendi sint iuuenes, et media ætate consistentes. CAP. XXIX.

AD IVVENES uero sermonem conuertens Ecclesiasticus orator, quoniam facile sperant, et quia sunt rerum ignari, et quia abundant sanguine; ostendat quam incerti sint exitus rerum, et quam periculosum sit, de diuina misericordia nimium confidere. Cum uero plerunque ad liberalitatem sint propensi, cum nesciant, quanto labore parentur opes; ostendat prodigalitatem esse multorum criminum originem: et eum, qui, subtrahit aliquid patri suo, aut matri, grauissime peccare. Cum uero etiam ad magnanimitatem inclinati uideantur; magnanimitatem christianam affirmet in animi perturbationibus sedandis, et in remittendis iniurijs, quæ maxima uictoria existimanda est, esse positam: et moneat, quando naturæ beneficio non sunt suspiciosi; caueant, ne decipiantur facile, ne uoluptate capiantur; ne, pessimus consultor mundus, eos id mini-

me cogitantes, in aciem sathanæ, relicta acie Christi, prauis consuetudinibus attrahat: ad misericordiam proni, misereantur animarum suarum; et caueant pericula, quibus eorum lubrica ætas est exposita: uerecundiæ amatores, uereantur uiros bonos, sed in primis Deum. Sed cum maxime iuuenum animi perturbentur, explanet, nihil esse miserius, quam domesticis seruire tyrannis; seditiosam, lachrymabilem, eamque domesticam esse tyrannidem, si regina ratio, ministris, atque ancillis, nimirum cupiditati, et iracundiæ turpissime seruiat: quo loco uerba B. Petri in medium afferre poterit; Obsecro uos abstinere a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Porro cum inconstantiæ multa signa dare consueuerint iuuenes; doceat Ecclesiasticus orator; inconstantiæ matrem esse leuitatem, cum facile credant, uerba illa B. Ioannis recitentur: Charissimi nolite omni spiritui credere. non inferant iniuriam, quia odiosi sunt iniuriosi, et iniuriarum finis est calamitas: cum sint laudis cupidissimi, quia haberi uolunt qui non sunt, mendacium maxime fonti omnis ueritatis displicere ostendet; et dedecus etiam mentientibus afferre; modum adhibeant in omnibus: longissimam uitam esse ueluti momentum temporis, et ueluti florem, qui mane uirescit, uespere decidit: non esse differendam pænitentiam: sibi ipsi et propriæ saluti consulendum: adolescentiæ calorem, et impetum sanctis exercitationibus, et pijs operibus temperent: alicui disciplinæ se tradant: aliquem uirum bonum, cuius exemplo, et consilio, prudentiores, et meliores efficiantur, deligant: adolescentiam periculorum, et insidiarum plenam ætatem, ualde suspectam habeant. Ad uiros, media ætate consistentes, ita sermo accommodandus est, ut quo magis in illis uiget ingenium, iudicium, et memoria; eo magis diuinis muneribus ad aliorum usum, et ad animarum salutem, utantur: in ea, ad quam nati sunt, et cui a primis annis se dediderunt, arte, se exerceant sine fuco et ostentatione,

senum

senum consuetudine, prudentiam augeant: uitæ moderatione, et grauibus colloquijs iuniores erudiant.

Quod disciplina distinguuntur magistri a discipulis: religiosi, et clerici à laicis: et quod magistri sint sacerdotes, qui Christum sequuntur, et eius præcepta docent. CAP. XXX.

DISTINGVVNTVR auditores, ut paulo ante monuimus, disciplina; ut alij dicantur magistri, alij uero discipuli: et inter magistros, alij sint rerum diuinarum, alij humanarum. quæ distinctio non solum ad mares, uerum etiam ad fæminas pertinet: hoc uno excepto, quod fæminis non licet sacras literas docere: quo loco erunt admonendæ quædam uiduæ curiosæ, per urbem cursitantes, ut moderationem retineant, orent, familiam suam bene administrent, concionibus intersint, missas audiant, operibus pijs se dedant, silentio modestiam præ se ferant christianam. Porro magistrum optimum fuisse Iesum Christum D.N. Ecclesiasticus orator sæpe ostendat: docuit enim utilia, breui tempore, facile docuit, omnia fecit quæ docuit: quibus de rebus erit fortasse utilius oratori Ecclesiastico, pluribus uerbis disserere in synodis, cum iussu episcopi sermonem interdum habet, aut in congregationibus, quæ in diecæsibus, discendi, et se mutuo consolandi causa institutæ sunt. Si ad populum interdum explicans euangelium, hunc locum tractauerit; ita illum tractabit, ut se non bonum magistrum prius esse fateatur, atque ut hortetur populum ad orandum Deum, ut boni magistri ad erudiendam plebem Dei mittantur: uerum magistrum dicat esse Christum; sanctos Apostolos, et eos qui illis successerunt, episcopos, eius fuisse hypodidascalos, aut, ut usitato uerbo utamur, repetitores: pessimum magistrum esse sathanam, quandoquidem suggerit res inutiles, et perniciosas, docere omni tempore; specie etiam uirtutis sanctos fallere; docere discipulos

suos

suos fingere; aliter docere, aliter uiuere. Sacerdotes interdum alloquens orator Ecclesiasticus, ostendet eos esse ministros Dei, ut iam saepe dictum est, illis multa dicta esse a prophetis, quae tanquam si diuina uoce prolata essent, sunt proferenda; quemadmodum illa Malachiae: O sacerdotes si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait dominus exercituum, mittam in uos egestatem, et maledicam benedictionibus uestris, et maledicam illis, quoniam non posuistis super cor: ecce ego projciam uobis brachium, et dispergam super uultum uestrum, stercus solennitatum uestrarum, et assumet uos secum, et quae sequuntur. quo loco obseruare debet, ne locos huiusmodi tractans, sacerdotibus auctoritatem minuat, et populum contra illos irritet: prima persona utatur cum de sacerdotibus ad populum dicit: uerbi causa, illa Malachiae tractans, dicat: nobis dicta sunt illa uerba, quae sine lachrymis uix commemorari possunt, ideoq. afferuntur in medium ut pro nobis, dilectissimi fratres, oretis: sed raro admodum coram populo ad sacerdotes conuertendus est sermo. in synodis potius, et in congregationibus quae ab episcopis haberi solent, hic locus est explicandus, et copiose illa uerba Beati Chrysostomi explananda: Multi sacerdotes, pauci sacerdotes; cathedra non efficit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: et in primis illa Saluatoris nostri: Vos estis sal terrae, uos estis lux mundi; et pluribus uerbis ostendendum est, in sacerdotibus requiri bonitatem, sobrietatem, castitatem, scientiam, idque multis sententijs poterit confirmare: necessariam bonitatem demonstrabit, testimonio Dauidis dicentis: Sacerdotes tui induantur iustitiam; et Esaiae qui scripsit: Mundamini qui fertis uasa domini: confirmabit necessariam esse sobrietatem, illis Dei uerbis ad Aaron, et filios eius: Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis; tu, et filij tui quando intrabitis in tabernaculum testimonij: ad quam uirtutem S. Apostolus Paulus Timotheum

theum

theum hortatur illis uerbis: Sobrius esto: utetur etiam eiusdem Apostoli uerbis ad ostendendum castitatem in sacerdote requiri; qui eundem filium suum charissimum monuit, ut in omnibus seipsum castum custodiret; addet requiri in sacerdotibus bonos mores, eiusdem S. Pauli uerba proferens: Nemini dantes ullam offensionem ne uituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exibeamus nos sicut Dei ministros: utile etiam erit saepe dicere, ualde necessariam esse scientiam; et uerba illa prophetae commemorare: Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum est; et incutere sacerdotibus timorem illis uerbis: Quia tu scientiā repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. quae omnia a Deo paucis uerbis propheta petijsse uisus est, cum dixit: Bonitatem, disciplinam, et scientiam doce me. Atque sacerdotes in primis ad auaritiam fugiendam adhortandi sunt, cum uerbis prophetarum, et praesertim illis Micheae: Principes eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et prophetae eius in pecunia diuinabant, propter hoc sion quasi ager arabitur, et Hierusalem quasi aceruus lapidum erit, et mons templi excelsa syluarum; tum etiam exemplis sanctorum hominum in primis sacerdotum, ut Gregorij Pont. max. Sancti Martini episcopi, Sancti Dominici, et quamplurimorum aliorum, quos sacrarum historiarum libri suppeditabunt.

Qua ratione excitandi sint auditores de sacerdotibus, et concionatoribus interdum non bene sentientes. CAP. XXXI.

AD POPULUM uero cum necessario de sacerdotio dicendum est, uerba illa D. N. Iesu Christi, in medium sunt afferenda: Quae dicunt, seruate, et facite; quae faciunt nolite facere: non contemnendos Dei ministros, sed eorum calamitatem potius lugendam, qui se tanto munere indignos ostendunt, et iustissimam

iustißimam Dei iram in se concitant. excitandi uero sunt auditores uerbi Dei, discipuli apostolorum, concionatorum, et sacerdotum, quos audiunt, ut, quae audiunt, mandent memoriae, audiant cum fructu; non numerentur inter illos, de quibus scriptum est: semper discentes, numquam ad scientiam peruenientes. Ad discipulos, quos sanctißimi uiri, Christi disciplina imbuti, B. Augustinus, Hieronymus, Franciscus, Dominicus, et Benedictus instituerunt, et sanctißimis suis regulis etiam mortui instituunt, sermonem habere non solent clerici. mutuo enim inter se religiosi uiri, et in doctrina scholastica, et in omni literarum genere uersati se docent.

Qua ratione discipulae sanctorum patrum, hoc est moniales, commouendae sint. CAP. XXXII.

AD DISCIPVLAS eorum, quos nominaui, sanctorum, hoc est moniales, quidam, iussu episcopi, sermonem habere consueuerunt: cum quibus ita agere debent, ut interdum ad metum, ad gaudium, reliquasq. sanctas affectiones, ut utile iudicauerint, excitent. Dicant, monachas in monasteria se abdidisse, non solum ut relictis parentibus, propinquis, et omnibus rebus saecularibus, Dei praecepta ad salutem necessaria commodius obseruarent; sed etiam euangelica consilia, quae sunt, paupertas uoluntaria, castitas perpetua, et obedientia integra, quae ipsae Deo uouerunt, exequerentur. quare oportere ut, quemadmodum sanctus scriptum reliquit Basilius, qui balneum intrant, omnibus uestibus se spoliant; sic quae, colendae pietatis causa, monasteria ingrediuntur, statim omne pecuniarum, et caeterarum rerum secularium desiderium, omnes carnales cupiditates exuant, et propria se uoluntate abdicent. Ad illas accommodari possunt illa uerba: Cum uotum uoueris domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus Deus tuus: et si moratus fueris,

reputabitur tibi in peccatum; et illa, Audi filia, et uide, et inclina aurem tuam, et obliuiſcere domum patris tui, quia concupiuit rex ſpeciem tuam; et quæ a B. Apoſtolo ſcripta ſunt: Deſpondi enim uos uni uiro, uirginem caſtam exhibere Chriſto. Atque ad excitandam in illis ſanctam quandam lætitiam, declaranda ſunt illa uerba: O quam bonum, et quam iucundum eſt habitare fratres in unum; eas ueluti ſorores unum in locum eſſe coactas, ut earum una ſit uoluntas, una ſit religio, una ſit charitas, omnia denique ſint communia, et ita habitent in domo domini omnibus diebus uitæ ſuæ: eis licere in choro Deum alloqui, et in terris degentes, cæleſtem uitam ducere: Monaſteria, ſi in ipſis ſit pax, et concordia, eſſe inſtar Paradiſi; ſin diſcordia in eis diſſeminata ſit, eſſe inſtar inferni: nullam eſſe nobilitatem, quæ cum nobilitate ſponſarum Chriſti poſſit conferri: nullam beatitudinem in hac uita reperiri, eius tantum imaginem in monaſterijs apparere. Commemoranda etiam ſunt commoda quæ ſentiunt; incommoda quibus carent; non diſtrahi uarietate negotiorum, non perturbari domeſticis calamitatibus; non uictum quærere, non diſcordias coniugum, dolores parturientium, moleſtias filiorum perpeti; cum Deo, non cum improbis hominibus, ut in hoc ſæculo uiuentibus accidit, ſermonem habere.

Quo modo humanarum ſcientiarum magiſtri excitandi ſunt. CAP. XXXIII.

MAGISTROS humanarum ſcientiarum ac artium excitabit orator ad ea, quæ ipſi didicerunt, alijs impertienda: communicanda eſſe diuina munera; tanto magis creſcere artes, et ſcientias, quanto magis communicantur; quam facillime, et breuiſſime fieri poſſit, quam profitentur artem, eam doceant; et in primis operam dent, ut reliquæ omnes artes, ueluti ancillæ, ſeruiant omnium reginæ Theologiæ; ne, tanquam mercatores, doceãt libentius

diuites,

diuites, quam pauperes, neminem excludant, nobilißimum eleemosynæ genus esse docere. quo loco perterrefaciendi sunt rhetores sæculi, ne incautos adolescentes erudiant ad decipiendum, ad excitandas seditiones; multo magis philosophi; ne de mundi æternitate, de immortalitate animæ, ex sententia Auerrois nimium multa, et nimis subtiliter doceant; quod impudentis hominis ac etiam impij esse, quispiam posset suspicari: quod prohibuerunt sancta concilia, non audeant, ostentationis causa, ad perniciem ingeniorum profiteri. Iurisperitos autem, medicos, et qui in alijs nobilibus artibus uersantur, excitet Ecclesiasticus orator, ut cum timore Dei, artem exerceant suam. Medicis incutiat timorem diuini iudicij, si, eorum negligentia, ægroti sine sanctis sacramentis Ecclesiæ, ex hac uita decedant: Iurisperitos ad horribile iudicium uocet, si eorum culpa, lis protracta, ortæ inimicitiæ; uiduæ, aut pupilli oppreßi fuerint.

De moribus amicorum, et de uarijs eorum generibus. CAP. XXXIIII.

ACCEDAMVS ad tertiam distinctionem, quæ erat, ut electione auditores distinguerentur. quidam enim dicuntur amici; quidã, etsi nimici non sunt, quia se mutuo non norunt, et nulla cõiunctione inter se iuncti sunt, eo non appellantur nomine. Amicos interdum dicat omnes christianos, quia communia sunt, cælum, et terra, cõmunis pretiosißimus sanguis Christi, communia sacramenta, cõmunes preces Ecclesiæ; sed tamen magis proprie appellandos amicos, qui in aliqua societate, sub eodem uexillo, ijsdem pijs operibus intenti uiuunt, expectantes beatam spem: cuiusmodi sunt illi, qui habentur, et nominantur fratres, alio nomine socij; quorum multæ sunt societates, prout Spiritus sanctus alios excitat ad erudiendos pueros in doctrina christiana, alios ad orationem, et ad frequentanda sanctißima sacramenta, alios ad propria corpora castiganda, alios ad consolandos eos,

de quibus ultimum est sumendum supplicium. Haec sancta amicitiarum genera, et plura alia, quae non utilitate, aut uoluptate, sed pietate, et uitae sanctitate omnia metiuntur, quibus otium fugitur, et auctori omnium bonorum Deo honor exhibetur, quam maxime poterit, Ecclesiasticus orator laudet; atque hos piorum uirorum, atque etiam fœminarum conuentus excitet ad perseuerantiam. cum ad illas sermonem habet; dicat, uiam esse hanc uitam admodum difficilem, et periculosam; illud uere dici posse, Vae soli: nos omnes egere aliorum auxilio, quo facilius iter faciamus, labyrintum huius mundi inextricabilem transeamus, perueniamus ad cælestem illam patriam: has ueras esse amicitias, quas amor Dei, quas studium pietatis conciliauit, has esse stabiles, et perpetuas: cauendum ne subdolus ille, et perniciosus uenator animarum nostrarum sathanas discordias in sanctis societatibus interdum disseminet: precibus flagitandum esse auxilium; frequenti usu sacramentorum illius conatus frangendos; hanc legem instituendam, ut alterum quisq. ferat, ut nihil dicatur, nisi implorato Spiritus sancti auxilio, si qua oritur dissensio, ad archipresbyterum, aut etiam, si opus est, ad episcopum deferatur.

Qua ratione commouendi sint milites. CAP. XXXV.

CUM autem in hac uita uariae oriantur perturbationes, uariaq. pericula immineant, quibus fit, ut optatissima pace frui non possimus, et idcirco bellum sit maxime necessarium: eliguntur quidam ad defendendam religionem, et patriam, aut quia inter cæteros excellant, seipsi offerunt, qui in disciplina militari uersari dicuntur. Cum autem, ut Aristoteles scriptum reliquit, in urbibus sint supremi, mediocres, et infimi; milites inter supremos, et Reipublicae defensores sunt collocandi. Quamobrem si interdum, ut tempore belli, orator Ecclesiasticus sermonem habeat; dicat sæpe, ad multos

per-

pertinere, defendere religionem Christi, pugnare pro sanctæ matris Ecclesiæ defensione, pro honore Dei, et pro ouibus, pretiosissimo Christi sanguine redemptis, si sit opus, moriendum esse: ad milites christianos maxime spectare, iustitiam tueri, miseris hominibus subuenire: ualde ignominiosum in militia esse, nihil aliud habere propositum, quã ditari, quam intemperantia seipsum fædare, quam, ubi quis uictoriam reportauerit, a seipso, hoc est a cupiditatibus suis uinci. quo loco proponet illa uerba sumpta ex libro regum: Esto uir fortis, et pugnemus pro legibus Dei nostri, et pro populo nostro. quæ uerba explicans, Pugnent, dicat, omnes pro Christo, pro sanctissimis sacramentis, pro sanctis monasterijs, pro uirtutibus, pro libertate, pro pace, sumant alacriter arma contra acerrimum christiani nominis hostem, contra discipulum sathanæ, contra impurissimum omnium flagitiorum ac scelerum hortatorem, crudelitatis ministrum: non posse non uincere, qui sic pugnat, cum mori pro religione, ac etiam captiuum duci, maxima propriarum affectionum et cupiditatum uictoria sit existimanda: quæ ubi dixerit, moderata quadam oratione addere poterit, se uehementer optare, ut omnes christiani milites, Ioannem Baptistam præcursorem domini, magistrum sequantur, eiusq. uerba in animo imprimant suo. cum enim ad sanctissimum illum uirum accessissent milites, eumq. ita interrogassent: Quid faciemus, et nos? legimus eum respondisse: Neminem concutiatis, neque calumniam alicui inferatis, et contenti estote stipendijs uestris. Nam ita se res habet: qui abutuntur imperatoria potestate, aut militari, ad grauandum, lædendum, aut opprimendum aliquem commilitonum suorum, aut etiam uictorum, cum uitæ eorum parcendum esse existimatur; qui calumnias inferunt, ut pecuniam extorqueant, ij certe nobilissimam disciplinam dedecorant, et potius sathanæ milites, quam Christi putandi sunt. quod tamen argumentum attingendum, non pluribus uerbis explicandum

candum dixerim, nisi fortasse inter christianos, eosdemq. catholicos, geratur bellum; quo tempore, hæc quæ diximus, commodius, et uberius explicari poterunt.

Quo modo mercatores debeant commoueri. CAP. XXXVI.

SVNT qui hoc uitæ genus sibi eligunt, ut mercaturam exerceant; qui si aliunde uiuere possunt; sapientium uirorum iudicio non sunt laudandi, nisi ad finem laudabilem, ad collocationem filiarum suarum, ad eleemosynarum distributionem, ad subueniendum patriæ, quidquid labore comparāt, conferendum statuant. Non putarem mercaturam uituperandam; affert enim multas commoditates uitæ hominum; reddit etiam homines industrios; et ignauiam, atque inertiam morbum ciuitatum remouet; sed tamen sordida mercatura, et quæ calamitate inopum crescit, uituperanda est. recitabit interdum illa uerba Ecclesiastici: Negocians difficile eruitur a peccato: omnem fraudem, mendacium, et dissimulationem e mercatorum animis amouere studeat. Dicat ueram mercaturam esse lucrari animas Christo; esse fœnerari Deo, quandoquidem diuitiarum omnium largitor centuplum reddit, et etiam uitam æternam donat.

Occulto Dei iudicio inter se differre principes, subditos, nobiles, ignobiles, diuites, pauperes. CAP. XXXVII.

QVARTA restat distinctio auditorum explicanda sumpta a fortuna, quam, licet imperitum uulgus cæcam, instabilem, et temerariam dicat; nos tamen hæc omnia nomina reijcientes, quidquid fortunæ tribuitur, occultum, et sapiens Dei iudicium nominamus: quo fit, ut alij reges sint, alij subditi; alij potentes, alij infirmi; alij nobiles, ignobiles alij; alij diuites, alij paupe-

pauperes, ut iubeant sæpe ij quibus satiùs esset parere; præsint qui potestate abutuntur; iaceant ignoti, qui magnis uirtutibus sunt præditi; sint multarum diuitiarum hæredes homines cupidißimi, usum diuitiarum ignorantes, ad administrationem familiæ succedant ij, qui tutoribus egerent; quidam habitent ruri, qui ad danda consilia, et ad regendos alios essent aptißimi. Qua de re agens, splendidis uerbis demonstrabit, Deum paterno imperio regere hunc mundum; in eius sapientia, et paterna gubernatione acquiescendum: omnes dici posse reges, si seipsos nouerint regere; omnes potentes, quia diuina gratia adiuti, possunt in sanctis uirtutibus proficere: omnes nobiles, quia ad imaginem, et similitudinem Dei effecti, fratres Christi, eius pretiosissimo sanguine redempti, ad cælestem hæreditatem sunt uocati; omnes diuites, quia participes diuitiarum, et thesaurorum suorum fecit nos Christus cæli, et terræ rex, et bonorum omnium dominus.

Qua ratione clericis agendum sit cum principibus, et subditis. CAP. XXXVIII.

ADMODVM raro, et fortasse nunquam clerici, quibus scribimus, coram regibus, et principibus sermonem habebunt. Si quando uero id illis accideret, eos monemus, ut turpißimum adulationis uitium uitent: coram, Regem non laudent, neque principes; id enim non decet ministros Christi; nec etiam in magna populi frequentia audebunt ipsi eos reprehendere, non quidem ullo metu, aut ulla spe, sed ne mouere seditionem uideantur, et populi auram aucupari. Si inciderit locus, explicans aliquod euangelium, aut epistolam B. Pauli, regias uirtutes proponat, religionem, iustitiam, clementiam, fortitudinem, temperantiam, paterno amore subditos complecti, regium esse; populorum commoda spectare non sua, homines imaginem Dei gerentes, in terris, exemplo, et auctoritate,

præmio,

præmio, et pœna regere; ſubditos ad ueras uirtutes, ad cæleſtem patriam dirigere, ſeipſum in magna poteſtate uincere, eſſe uirtutem heroicam quam regibus neceſſariam ſapientes uiri putarunt. Quæ cum breuiter, et dilucide, temperato quodam genere dicendi utens, dixerit; populi bene inſtituti eſſe, pluribus uerbis docebit, amare regem, aut principes ſuos, eorum conſilia ſemper in meliorem partem interpretari, legibus obtemperare, conſilio, opibus, quantum neceſſe eſt, alacriter eos iuuare.

Quo modo commouendi ſint rerum publicarum adminiſtratores. Cap. XXXIX.

INTER auditores uerbi Dei, plerunq. in rebuſpublicis adſunt multi, qui rempublicam adminiſtrant; cum quibus multo liberius agendum eſt, cum ipſi non ſemper præſint reipub. ut perniciosum ſit ipſos in ullam ſuſpitionem improbitatis adducere. Excitandi ſunt hi ad politicas uirtutes, ſed maxime ad ueritatem amandam, ad ineptas, et malitioſas quaſdam blanditias uitandas: et ad eos ſermonem conuertens orator ſæpe, ut fecit B. Chryſoſtomus, cum ad Antiochenos concionaretur, diſſerat de uitando iuramento; cum in rebuſpub. ſæpiſſime ad conciliandam ſibi omnium, etiam improborum, beneuolentiam, mendacijs, et periurijs ciues in hominum animos illabantur. Excitandi ſunt etiam maxime ad anteponenda publica commoda ſuis; matrem eſſe communem rempub. alumnam pacis, ſanctæ religionis conſeruatricem; diuinitus tot, et tam magna beneficia illis eſſe conceſſa, non ut priuati ſibi propria facerent; ſed ut libertate, et honeſto otio illi fruerentur: uehemens illud ſtudium ad parandas opes, quod a quibuſdam adhibetur, adhibeatur ad religionem ſanctam tuendam, ad ſanciendas, et ſeruandas leges, ad iuſtitiam colendam, ad ſalutaria conſilia proponenda. Verum ad nobiles conuertens

uertens orationē, quando hi solent esse magnanimi, et plerunque admodum ambitiosi, ad humilitatem maxime sunt excitandi, et ualde deterrendi, ne in illud magnum incidant dedecus, quod est a parentum gloria degenerare; humilitati in primis studeant; nullam esse nobilitatem, quæ cum Christi nobilitate sit conferenda. Ignobiles, ad ueram nobilitatem, quæ in obseruatione religionis, et in uirtutibus est collocata, sunt accendendi. Doceat tamen orator, ut ignobiles nunquam nobilibus se pares putent; quandoquidem cum claris sint orti parentibus, et antiquis sæpe diuitijs abundent, illis etiam concessum uidetur, ut a ceteris, eis quidam tribuantur honores.

Quo modo commouendi sint patresfamilias. CAP. XL.

PORRO autem cum maior auditorum pars, hac ratione distingui possit, ut alij sint famuli, alij domini, quos rectius patres familias dixerimus; ad hos sæpissime ita conuertendus est sermo. meminerint ideo se constitutos esse patresfamilias a domino, ut familiam suam informent, hortentur, corripiant, et consolentur; idq. ab illis requiri, ut uniuersæ familiæ suæ se uirtutum exēplar præbeant; huius muneris exacturum dominum rationem. quo loco commodissime poterit dicere ad eos, qui hac diuinitus concessa potestate abutuntur: noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, et opprimens tibi subiectos: mundum esse tanquam amplissimam quandam familiam Christi; Christum præscripsisse legem charitatis, pietatis, humilitatis; iurgia, conuitia, et uerba iniuriosa, quibus uti solent serui suarum cupiditatum, huius sæculi domini, esse maxime detestanda: B. Paulum Apostolum audiendum, qui scripsit ad Ephesios, Et uos domini eadem facite illis, quemadmodum uobis ipsis fieri optaretis, si serui essetis, et pauperes; scientes quia eorum, et uester dominus est in cælis. quæ uerba oratorio modo

explicans Ecclesiasticus orator, sic populum, sic patresfamilias alloquatur: Existimate, fratres, uos seruorum uestrorum esse conseruos, qui communem dominum habetis in cælo; qui eundem cæli, et terræ rectorem agnoscitis Deum; eundem illorum, et uestrum patrem experimini; eundem etiam horribili illo die iudicij iudicem habituri. Qua mensura mensi fueritis, metietur uobis, docuit communis omnium dominus. His uerbis ostendet, immoderatis laboribus non esse grauandos famulos, res necessarias ad uictum et uestitum illis prouidendas, eis soluendam mercedem, studendum, ut meliores efficiantur; indulgentia, nimia familiaritate, et communicatione secretorum, non eos esse ad licentiam, quod quidam faciunt, erudiendos. Hoc loco peruersa quorundam dominorum consuetudo acriter erit reprehendenda, quod famulis suis, ueluti mancipijs, utantur, et ueluti tyranni miserrimæ cuiusdam domus seruos suos adhibeant sibi administros ad multa scælera patranda, corruptores suorum filiorum, eos efficiant. Quamobrem obiurgandi sunt sæpe, ne huiusmodi homines alant, ne multitudine famulorum inutilium, quæ familias perturbet, delectentur, opes suas in alios usus conferant, alant potius seruos Christi, pauperibus subueniant, sciant in multas calamitates incidisse, et perpetua infamia multas familias fuisse notatas, ob hanc unam causam, quòd nulla in eis erat disciplina; pater familias turpiter iracundiæ, aut cupiditati seruiebat; et famuli dominabantur. hinc homicidia, hinc stupra, hinc adulteria, hinc multas calamitates exortas esse commemorabit.

Quibus uerbis excitari debeant famuli. CAP. XLI.

VBI hoc argumentum tractauerit, ad famulos orationem conuertens, explicabit pluribus ea uerba B. Pauli: Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum

seruientes,

seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum, quodcunq. facitis ex animo, operamini sicut domino, et non hominibus, scientes quòd a domino accipietis retributionem hæreditatis. quæ uerba necessario sunt sæpe explicanda, cũ plerique nõ seruiant in domino, sed ad oculum, et ut placeant; quod maxime in aulis principum solet accidere. quo loco, sunt excitandi qui seruiunt, ut seruiant in domino, eatenus pareant dominis suis, quatenus quod iubent, cum lege domini consentit, aut saltem diuinæ legi non aduersatur. reprehendendi sunt huius sæculi mores, quod famuli, quod familiares, ut placeant dominis, illis adulantur, malum dicunt bonum, et bonum malum; quidquid dicunt, et faciunt, id omne ad propria commoda referunt, ut in animos dominorum illabantur, inde ditentur, honores consequantur, et, ut uno uerbo dicam, inde dominentur; et cum maxime blandiri uideantur, eos, quibus proprij commodi causa seruiunt, odio habent, eos clam uituperant, et in odium hominum adducunt. Hos sathanæ ministros, infideles seruos, aut potius domesticos inimicos, pestem uitæ ciuilis nominabit, duplices, inconstantes: et dicet, simulationem diu latere non posse; et, quod magis ad rem pertinet, sumpturum dominum pœnas de ijs, qui iniusti, et ingrati fuerint in eos, quibus in ipso seruire debuerunt, expectantes etiam ab ipso nõ tam in hoc sæculo, quam in futuro, remunerationem.

Quo modo impellendi sint ruri habitantes. CAP. XLII.

QVONIAM potißimum scribimus seminariorum clericis, quorum multi ruri habitabant; dicamus de præcipuis rusticanorum hominum moribus, et, qua ratione ad eos habendus sit sermo. Inuident plerunque, qui ruri habitant, in ciuitate degentibus: qua in re utile erit, incommoda in urbe degentium, inuidias, calumnias, molestiasq. quæ in rerum urbanarum administra

tionibus sentiuntur, commemorare: uoluptatem, quæ ex agricultura percipitur, eiusq. nobilitatem ante oculos ponere, quam, ut inquit D. Augustinus, Adam etiam in paradiso exercuisse, non labore seruili, sed honesta animi uoluptate, credendum est: agriculturam esse quendam librum, in quo Dei sapientiam, et potentiam legere, et contemplari possumus; quandoquidem iactis in agrum seminibus, plantatisq. surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis facile percipi potest; quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus: omnia præterea quæ ruri eueniunt, frugum copiam, sterilitatem, siccitatem, ad Dei prouidentiam referenda esse, orator demonstrabit. Iustitiam Dei inculcabit; quidquid aduersi contingit, accidere propter peccata: eos, qui Ecclesiam decimis fraudant, corrumpere patrimonium suum; benignissimum patrem Deum non deesse illis, qui labore, industria sua, sibi, filijsq. suis uictum quærunt. Similitudines sumptæ ab agris, ab arboribus, et in uniuersum ab agricultura, ad persuadendum, magnam uim habent: ut a fructibus cognoscitur arbor, ita hominem declarari operibus cuiusmodi sit: quemadmodum tritico coniunctum est lollium; ita bonitatem malitiam plerunq. esse permixtam, et inter bonos, multos malos existere. Ad terrorem commouendi sunt sæpe rustici, uerbis prophetarum, uerbis etiam D. N. Iesu Christi, et sanctorum Apostolorum, peccatoribus mortem perpetuam comminantibus: idq. faciendum est, quoniam plerique inter eos solent esse mendaces, dies festos raro, ut debent, obseruant, murmurationibus, et uerbis obscœnis delectantur, facile in suis opinionibus persistunt, facile irascuntur, facile aliena subripiunt, licet multo plures reperiantur ruri, magis a dolo, et fraude, a quibusdam etiam horribilibus uitijs alieni, sua sorte contenti iucundiorem uitam ducentes. Ecclesiam etiam sæpius, et maiore cum deuotione frequentantes, quam in ciuitatibus: quibus interdum, ma-

gnum

gnum et diuinum beneficium quo fruuntur, est explicandum, ut intelligant, uere esse diuitem, qui nihil appetit; semper esse pauperem, qui aliquid semper cupit. Vtile admodum erit, societates corporis D. N. Iesu Christi, B. Virginis, atque etiam congregationes, quæ appellari solent, charitatis, illis proponere; eosq. hortari ad sanctissimum sacramentum Eucharistiæ, saltem in omnibus solennitatibus sumendum; ad pueros paterna quadam charitate, communi quodam decreto ad Ecclesiam ducendos, reprehendendos, castigandos etiam, ac si unius patris, omnes essent filij.

De usu Exemplorum. CAP. XLIII.

CVM exempla plurimum moueant animos auditorum; Ecclesiasticus orator, pro ætatis, et status diuersitate, exempla cum sanctorum, tum etiam sanctarum mulierum sæpe adhibebit. qua in re maximam copiam suppeditare poterit, uir doctrina, et pietate insignis, Aloysius Lipomanus, qui fuit Veronæ episcopus: ut si de contemnenda morte, habendus sit sermo, martyrum exempla, Stephani, Laurentij, et aliorum quamplurimorum, in medium sunt afferenda, qui alacriter mortem oppetierunt: illa diaconi uerba repetenda: Quo sine filio properas pater? et præclarissima quædam uerba matris Machabæorum, quæ B. Gregorius Nazianzenus scripsit in quadam oratione: Euge filij mei, euge milites strenui, euge in corporibus fere incorporei, euge tutores legis, canæq. senectutis meæ, atque ciuitatis, quæ uos aluit, et ad eam uirtutis magnitudinem euexit; ad huc paululum, et uicimus, morantur carnifices, hoc unum perhorresco, paululum adhuc; et ego inter mulieres beata, et uos inter adolescentes, beati: at fortasse matris uos desiderium angit, nequaquam uos deseram, non tam liberos meos odi: et paulo post martyrium, facit matrem loquentem, et Deo gratias agentem, quod

partus

partus suos, martyrio decorauerit. quæ uerba sine lachrymis proferri non possunt. Si ad remittendas iniurias excitandi erunt auditores; exemplo S. Stephani uti poterit, qui orauit pro lapidantibus se, optimum magistrum imitatus, qui dum crucifigeretur, non maledixit, orauit potius patrem, ut ignosceret eis, quia nesciebant quid facerent. Ad christianam liberalitatem, si necesse fuerit commouere sacerdotes; S. Nicolai episcopi, Ioannis Alexandrini, qui dictus est eleemosynarius, exempla afferri poterunt. Sed non minimum ad commouendum ualet, ut alio loco diximus, si domesticis illarum ciuitatum, aut locorum, ubi sermo habetur, exemplis utamur: ut Mediolani S. Ambrosii, animi constantia, et robur in suo munere obeundo, eiusdem temperantia, ceteræq. uirtutes proponi poterunt: ita etiam alibi aliorum, qui in aliqua ciuitate insignes sanctitate fuerunt episcopi. In afferendis autem exemplis, cauendum est, ne sanctorum hominum peccata, et errores sæpe commemoremus, ut Dauidis adulterium, et homicidium, Salomonis incontinentiam, ne auditores, inde licentiæ occasionem sumant, et erudiantur ad excusandas excusationes in peccatis, et existiment licere sibi impune errare. Possunt tamen adhiberi, sed raro, ad declarandam humanam infirmitatem, atque ad excitandam spem, in hominum animis, peccatorum conscientia deiectis. Poro cum sententiarum magnus sit usus in Ecclesiastica Rhetorica; dicamus, quid sit sententia, et quatenus sententiarum usus commendet orationem, et a quibus eæ maxime debeant, usurpari.

De usu sententiarum. CAP. XLIIII.

SENTENTIA est oratio aliquid enuncians, de re uniuersali, quæ sit optanda, aut fugienda: ut, bonum est, ex uirtute uiuere; nolle mortales iracundiam seruare immortalem. Duplex

plex autem est ſententia; una quæ ſimplex dicitur; altera quæ habet rationem adiunctam, et illam quidem aut implicitam, aut explicitam: ſi habet explicitam, appellatur proprio nomine, pars enthymematis: ſi implicitam, ſententia enthymematica, his uerbis, uſum eſſe memini Ariſtotelem. ſimplex ſententia eſt illa: bona eſt religio chriſtiana. pars enthymematis eſt: non eſt gaudendum ob mortem inimici, quia poterat conuerti ad dominum; ratio cur non ſit gaudendum, eſt; quia fortaſſe melior effectus, Deo ſeruire potuiſſet. Quamplurimæ autem ſententiæ quæ ſunt in libro, qui inſcribitur Eccleſiaſticus, dici poſſunt, partes enthymematis: ne dixeris, peccaui, et quid mihi accidit triſte? ſubiungit rationem, altiſsimus eſt enim patiens redditor: explicata eſt ratio, quamobrem nemo debeat ſperare, ſe poſſe effugere iuſtitiam Dei; ergo non eſt peccandum. Enthymematica ſententia eſt: ne contendas cum uiro locuplete; ac ſi diceret; prouocatus homo diues, litigat, ac perturbat proximum; ergo noli contendere cum uiro locuplete. Sacræ literæ abundant ſententijs, quæ ſuo loco collocandæ ſunt, nec inculcandæ, ut oſtentationis ſuſpicio uitetur, et ne copia, ſatietatem pariat animis, ut plerunq. ſolent, firmis etiam corporibus, cibi nimium delicati, et ualde nutrientes, ſatietatem afferre; explicandæ ſunt potius, et exponendæ quædam ſententiæ, aliæ quæ ad rem pertinere non uidentur, in aliud tempus reijciendæ. Præclariſsimæ reperiuntur in prouerbijs, et in Eccleſiaſte Salomonis, in libro ſapientiæ, atque etiam in Eccleſiaſtico; in pſalmis Dauidis magna ineſt ſententiarum copia; ſed nullæ ſunt grauiores, nullæ quæ maiorem uim habeant ad perſuadendum, quam eæ quas D. N. Ieſus Chriſtus protulit, quæ maxima ſemper cum ueneratione, ac præfatione, ſunt populis proponendæ. E multis autem quæ in ſacris libris continentur, hæ excerpendæ ſunt, ac tractandæ: Attende tibi: Memorare nouiſsima tua: Altiora te, ne quæſieris: Deum time, et

præcepta

præcepta eius ſerua, hoc eſt enim omnis homo. Ex ijs uero quæ D. N. Ieſus Chriſtus protulit, hæ tractari ſæpiſsime conſueuerunt: Non poſſumus duobus dominis ſeruire, Deo, et mammonæ: Qui amat animam ſuam, perdet eam: Qui diligit me, ſermones meos ſeruabit: Qui uult uenire poſt, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, et ſequatur me. Quarum ſententiarum uſus, et tractatio, ſi iudicium adhibeatur, in omnibus fere concionibus poteſt, maximo cum audientium fructu, accomodari. Senum eſſe proprium proferre ſententias, ſcribit is, quem nominaui, Ariſtoteles: quod cum ita ſit, presbyterorum erit, eas proferre, quamuis non ſint ſenes, modo in illis inſit canities mentis, et morum grauitas. Hortarer tamen clericos, ne præceptum grauiſsimi philoſophi contemnerent, copioſius potius tractarent, quæ ſibi dicenda propoſuerunt, quam in conſarcinandis plurimis ſententijs, quod non eſt difficile, nec admodum utile, laborarent.

De uſu Enthymematum, et epilogus huius ſecundi libri. CAP. XLV.


DE VSV enthymematum, cum de uſu exemplorum, et ſententiarum dixerimus, breuiter eſt dicendum. Conficiuntur igitur enthymemata, ut alio loco diximus, ex propoſitionibus ueris, ac etiam indicijs non longe petitis, neque obſcuris, ſed ex proximis, et apertis, ut facilius in rudium animis imprimantur; quemadmodum feciſſe ſanctos patres, facile eſt obſeruare. Cum autem quædam adhibeãtur ad confirmandum, quædam ad refellendum; ex eiſdem locis ſumuntur, multo tamen crebrius, ubi catholice uiuitur, enthymemata adhibeantur ad confirmandum, quam ad refellendum. Cum autem orator confutat peruerſas uulgi opiniones, uerbi cauſa, uoluptatem eſſe ſummum bonum: diuites eſſe beatos: uoluptatibus eſſe indulgendum: mortem eſſe maximum malum; ſimulandum;

landum, dissimulandum; spectacula, et omnia oblectationum genera quærenda: aut prauam aliquam opinionem, quæ inuaserit, studet euellere; abundare facile poterit propositionibus, tum sumptis a sacris literis, a traditionibus, ab Ecclesiæ auctoritate, et sanctorum patrum, et ab alijs, de quibus diximus, tum a locis communibus, in primis a definitione, ab antecedentibus, a consequentibus, et a causis, de quibus etiam egimus. Nos cum de materia Ecclesiastici oratoris, et de uarijs probationibus, deque ratione commouendorum animorum dixerimus; iam ad tertiam huius operis partem, quæ de elocutione ecclesiastica erit, accedamus, monentes clericos, ne habentes concionem ad populum, temere disputationes instituant contra hæreticos, eorum argumenta non commemorent, ne forte in uanitatis suspicionem incidant, et simplicium mentibus, scrupulos inijciant. In uniuersum dicant, miseros esse hæreticos, relicta acie Christi, trasfugisse ad aciem sathanæ; non posse quenquam habere Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem; scelestam esse nouitatem, bene fundatam uetustatem non esse subruendam; martyrum sanguine, et doctissimorum, sanctissimorumq. hominum uigilijs stabilitam Ecclesiam sequendam; sanctis concilijs, et tot sæculorum incorruptis iudicijs confirmata Ecclesiæ sanctæ dogmata tenenda; transfugas esse hæreticos, discipulos sathanæ, perturbatores pacis, inimicos Dei, corruptores morum, seditionis magistros, et rerumpublicarum euersores; seditiosos, perniciosæ libertatis, uel potius licentiæ auctores. Nec etiam est necesse, hæreticorum nomina, in catholicorum hominum cætu commemorare, sed utilius duxerim, ut perniciosas eorum opiniones a doctissimis hominibus, multis iam sæculis confutatas, et explosas, silentio reijcerent; tempusq. rem pretiosissimam, in explicatione diuinæ legis, in gratiarum actione, in hortatione ad pænitentiam, et ad beatam uitam consequendam, ponerent.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE RHETORICA ECCLESIASTICA, AD CLERICOS

Liber Tertius.



In quibus potissimum elocutio ecclesiastica constituta sit. Cap. I.



EPETAMVS definitionem Ecclesiasticæ Rhetoricæ, quam ab initio huius operis attulimus, ut intelligantur, quæ nobis supersunt tractanda. Dicimus esse artem, apte dicendi, de rebus ad gloriam Dei, et ad salutem animarum spectantibus, probando, mouendo, et conciliando, ut ille, qui dicit, persuadeat. Quæ autem essent res ad honorem Dei, et ad salutem animarum pertinentes, et quod eæ tribus generibus comprehendantur; item, qua ratione, et à quibus locis argumenta ducantur, tum ad docendum, tum ad commouendum, explicauimus. Consequens est, ut de elocutione Ecclesiastica dicamus, quam Ecclesiasticæ eloquentiæ, cuius præcepta tradimus, præcipuam partem, hoc est, formam, appellare possumus. nam, uti probationibus, commune est huic arti cum dialectica, cum philosohpia, et cum Theologia: apte autem dicere ad populum, quod est eloquentiæ christianæ proprium, hoc est orationis ecclesiasticæ munus, hac uirtute, orator est oratore præstantior. In his eloquentiam ecclesiasticam constitutam dixerimus; ut, quicunq. ea sint præditi, adhibitis ad Deum precibus, inuocatoq. sancto Spiritu, qui linguas infantium facit disertas, et aperienti os suum, implet illud; apte, hoc est, considerate, emendate, perspicue, apposite, memoriter, et cum dignitate possint dicere.

Quod

Quod utile sit, cognoscere, quid sit inepte dicere, ut facilius cognoscatur, quis in Ecclesia apte dicat. CAP. II.

VT FACILIVS, id quod proposuimus, intelligatur; utile erit, in medium afferre quasdam ineptias, in quas nonnulli, ut docti homines obseruauerunt, interdum incidere solent; quod minime facimus, ut nos sapere uideamur; sed ut clericis, quibus scribimus, eloquentiæ Ecclesiasticæ regulas facilius imprimamus. Qui ad dicendum inconsiderate assurget, non implorato diuino auxilio, non ineptus, sed potius stultus, atque impudens est iudicandus: qui autem loci, temporis, propriæ personæ, auditorum, apud quos dicunt, rationem, aut nullam, aut minimam habent, proprio nomine inepti sunt appellandi: quorum in numero sunt ponendi illi, qui, sanctissimis diebus Natalis, et Paschatis, longissimis fabellis, interdum etiam somnijs, auditorum animos oblectare student; qui, longitudine sermonis, et crebris digressionibus, auditores tædio afficiunt, et quasi sequenti die essent morituri, omnia quæ legerunt, ut doctissimi uiri habeantur, unica oratione uolunt promere: qui explosas iandiu philosophorum opiniones, de fato, contra Dei prouidentiam, de sequendis uoluptatibus, in medium afferunt, eas, quod minime necesse est, ut refellant; et interdum, quasi cum doctissimis hominibus disputent, crebris argumentis, et concisis sententijs, ne superuacanea dicere uideantur, utuntur; et cum breues esse laborent, obscuri fiunt; et quod uix tolerabile esse uidetur, antiquas, et confutatas hæreses commemorantes, cum maxime uitent, usitata, et superuacanea dicere, parum fructuosa, atque etiam perniciosa dicunt. Monemus nos clericos, ut præceptum S. Francisci, ostentationis inimici acerrimi, sequantur: qui, sui ordinis concionatores ita instituit, ut uirtutes, et uitia, gloriam, et pœnam, cum breuitate sermonis,

audientibus proponant. quæ uerba utinam non solum in clericorum, sed etiam in omnium, qui in hac nobilissima arte uersantur, animis imprimantur.

Quo modo frigida efficiatur oratio. CAP. III.

FRIGIDITAS in oratione, ineptiæ filia, clericis uitanda, est; quæ ex his causis oritur; cum audent homines nomina confingere; figurarum uarietate confundere, et miscere orationem: quod accidere interdum consueuit hominibus, linguam hebræam, et græcam ostentantibus; qui interdum sine ulla necessitate, eandem rem tribus nominibus explicare conantes, nihil minus assequuntur, quam quod sibi proposuerunt: eorum enim frigescit oratio. Frigidam efficiunt orationem superuacanea epitheta; ut siquis dicat, benigna mansuetudine commotum; et prudenti solertia. frigida erat oratio illius, qui nunquam B. Paulum nominabat, quin Tharsensem diceret; nunquam Dauidem, quin serenissimum adiungeret: sic a natura formati sumus, ut nobis superuacanea, molestiam afferant: animi sensa ita explicanda sunt, ut facile intelligantur; et oratio est adhibenda, tanquam instrumentum, diuinitus nobis datum, ad instruendos alios. Verum quoniam sæpe frigidam, et exanguem orationem efficit languida, et pene mortua quorundam actio; de actione dicamus aliquid.

De actione, qua, qui caret, uix ad dicendum aptus esse potest. CAP. IIII.

ACTIONIS magna uis est; ut reperti quidam sint, qui sine doctrina, sine etiam delectu uerborum, sola actione, maiorem in dicendo laudem sint consecuti, quam doctissimi uiri, uerborum etiam copia abundantes. Quare orator ille summus interrogatus, quid primum, quid secundum, quid tertium arbitraretur

tur in oratore; respondisse fertur: Pronunciatio. Est autem pronunciatio, in uoce, et in gestu posita, et uocis moderatione perficitur, ne ab oratione discordet. aliud enim uocis genus, nempe acutum, et concitatum requiritur ad exprimendum zelum Dei; aliud, abiectum scilicet, et demissum ad recreandum, timore, et conscientia peccatorum præteritorum animum. sancto gaudio perfusus, leni quadam uoce, et remissa utitur; dolore commotus, uehementi quodam, et graui sono, proprium exprimit dolorem. Oculi dicuntur principes in pronuntiatione; quorum intentione, et remissione, coniectu, et hilaritate affectiones exprimuntur: ita ut eleganter doctus uir, actionem appellauerit sermonem corporis, eadem analogia utens, qua usus est ille, qui picturam poesim tacentem, et poeesim picturam loquentem nominauit. Cauendum est, ne oris species mutetur; nam qui id faciunt cum maxime student commouere, nihil aliud assequuntur, quam quod risum mouent. Brachium proiectum, est telum orationis, quo interdum animæ feriuntur. Supplosio pedis aliquando habet magnam uim, cum de rebus maximis agitur. Hæc omnia sunt quasi illecebræ, quibus auditorum animi capiuntur, quæ etsi non sunt multo studio conquirendæ christiano, a nobis tamen commemorantur, ut tacite clerici admoneantur, ne eadem uoce semper utantur; uocem accommodent, et gestum rebus, quas tractant: immoderatis uociferationibus, et longis apostrophis frigidam orationem non efficiant; perpetua quadam agitatione, quod quidam faciunt, tædium, ac molestiam non afferant. Qua in re utile illis futurum iudicamus, si, ubi primum, exercitationis causa dicere incipiant, habeant a quibus corrigantur, a quibus in hac præcipua concionis parte erudiantur. nam, qui sine magistro, et moderatore se conferunt ad dicendum, plerunque oratores parum uehementes, et potius frigidi euadunt. Quoniam uero nonnulli sunt ita a natura formati, uultu adeo incomposito,

uoce adeo agresti, et lingua adeo impediti, ut prorsus ad dicendum inepti uideantur: quorum quosdam naturæ impedimenta, ac etiam uitia superasse, testantur historiæ; eos hortamur, ne, nisi proprio officio coacti sint, munus dicendi suscipiant; si interdum dicant, quo magis egent illis adiumentis, quæ ad dicendum sunt necessaria, eo feruentius, ab eloquentiæ, et bonorum omnium largitore Deo, summis precibus petant, ut adiuuet infirmitatem, infundat sanctum spiritum suum, ut cum auditorum fructu loquantur.

Quod sine Dei auxilio, de Deo, nemo potest recte dicere. CAP. V.

PRINCIPUM igitur elocutionis, et totius eloquentiæ ecclesiasticæ, sumendum est a diuini auxilij imploratione. quis enim audeat de Deo, sine Deo dicere? quis de rebus diuinis sine ope diuina tractabit? Quamobrem sine meditatione, nisi precibus ad Deum adhibitis, Ecclesiasticus orator non audeat ad dicendum assurgere, ne interdum, diuino auxilio destitutus, præclarissimum munus dedecoret. hortarer etiam, ut nisi sumpto sanctissimo sacramento Eucharistiæ, et cælesti pane recreatus, angelicum hoc munus non susciperet; atque Deum oraret, ut aperiat ei ostium sermonis, ad loquendum misteria Christi, quod nisi aperiatur, infructuosa futura sit eius oratio. Precibus adiungendum est studium, adiungenda est diligentia, et assidua lectio sacrorum librorum; sine qua, qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, accidit sæpe, ut in uarios errores, et in confusionem incidant: consilio etiam doctorum hominum uti debet, cum potest, ut ea dicat, quæ sunt dicenda; alia in aliud tempus reijciat.

Quid sit emendate loqui. CAP. VI.

CAPUT elocutionis est, ut emendate loquatur orator; solæcismis ac barbarismis auditorum aures non offendat; quod quidem per

per se nihil esset, si interdum risum non moueret, et muneris existimationem non minueret. Quare necessarium est ei, qui dicit ad populum, dare operam, ut emendate loquatur; et in ea, in qua natus est lingua, se exercens, molestas quasdã uoces mutet, aut corrigat. Caueat tamen ne propriæ linguæ oblitus, nimium studium in aliena, mutatis uocibus, et accentibus ponat. solet enim plerunq. accidere, ut in eo, affectatio appareat. Ipse noui homines, magnam eloquentiæ famam consecutos, qui uoces, quas ab incunabulis didicerunt, non repudiarunt, et magni oratores habiti sunt. Copia rerum, uerborum copiam gignit; recte dicendi, sapere est principium, et fons; nihil inani uerborum strepitu infructuosius, cum præsertim de gloria Dei, et de salute animarum agitur. Quare cauendum est clericis, ne nimiam in loquendo diligentiam sectantes, in uanitatis suspitionem incidant; et dum sermonis elegantiam studiose sectantur, obscuriores fiant. nam præclare B. Augustinus inquit: Malo ut me reprehendant grammatici, quam non intelligant populi; eligens magis in barbarismis, damnantibus grammaticis, intelligi; quam in mea disertitudine, auditores deserere.

De perspicuitate orationis Ecclesiasticæ. CAP. VII.

ORATIONIS uirtus est perspicue dicere: quoniam nisi orator ita dicat, ut ab auditoribus intelligatur, sine dubio, nihil unquam poterit persuadere. Perspicuitas autem in nominum, et uerborum proprietate consistit. quo magis igitur, proprijs utetur Ecclesiasticus orator, eo magis suspitionem ostentationis effugiet. Propria uerba dicuntur ea, quæ communi loquendi usu, recepta sunt, et rem significant, ut magister, philosophus, theologus, reprehẽdere, dicere, laudare. Non est autem proprijs uerbis utendum, cum præsertim prolata, sine uerecundia audiri nequeant, aut etiam horrorem incutiant. sunt quædam corporis partes, quæ proprijs nomini

bus

bus explicandæ non sunt, sed adhibita circumlocutione: insignium etiam, et nefandorum peccatorum nomina supprimenda sunt, et raro admodum proferenda.

Quod Ecclesiasticus orator interdum uti debeat translatis ad rem magis exprimendam. CAP. VIII.

TRANSLATA uerba sunt ea, quæ a propria significatione, ad aliam non propriam, per similitudinem transferuntur; ut sophistæ appellati sunt uenatores adolescentium, diuitum in primis; gratia dicitur fons uitæ; charitas anima uirtutum. Orator ecclesiasticus cum propositam tantum habeat gloriam Dei, et salutem animarum, translatis eatenus utetur, quatenus id quod sibi proposuit, in auditorum animis possit imprimere. Agnum immaculatum appellabit Christum, ut magis excitet ad mansuetudinem; martyres athletas, ut uictorias martyrum ante oculos ponat; et ad pugnam cum domesticis inimicis hortetur; christianos appellabit milites, ut eos magis ad minime formidandam mortem excitet; orationem clauem cœli; charitatem ignem amoris nominabit. Multæ autem sunt in translationũ usu, adhibendæ oratori cautiones. primum ne a remotis sumantur; ut siquis audacter dicat Christum serenissimum, quia rex, quia eo nomine reges appellantur; deinde, ne ab ulla re turpi proficiscantur; ut siquis Deum patrem, carnificem Christi nominet; iussit quidem, ut propter peccata hominum moreretur, ut illa morte, diuinæ iustitiæ esset satisfactum, et cœli ianua aperiretur fidelibus, non ideo tamen appellari debuit carnifex. Atque, ut paucis dicam, translationes faciles, a rebus pulchris desumptæ, et iudicio, quod succum prudentiæ sapientes homines appellarunt, adhibito, illuminant orationem. quibus translationibus, sanctissimorum patrum libri abundant, præsertim græcorum, qui in metaphoris, et similitudinibus

excogi-

excogitandis, mirabiliter excelluerunt: differt autem metaphora a similitudine, hoc tantum, quod metaphora est breuior, et idem exprimit sine coniunctione, ut, diabolus est leo, metaphora est; similitudo, tanquam leo rugiens. At animaduertendum est, ne clerici, frequentibus uerbis translatis frigidam efficiant orationem; et utentes illis, non ueluti condimentis, sed tanquam cibis, satietatem, aut potius nauseam pariant. quod quibusdam contigisse, nostra tempestate, prudentes uiri obseruarunt.

De uerbis similiter cadentibus, et diminutiuis. CAP. IX.

VERBA similiter cadentia, iucundam interdum efficiunt orationem; sed raro clericis usurpanda sunt, ne in affectationis suspitionem incidant. Pulchrum huius figurae exemplum est apud B. Bernardum: Mundus clamat, deficiam; caro clamat, inficiam; demon clamat, decipiam; Christus clamat, reficiam. Interdum in diminutiuis ad augendam orationem, interdum ad minuendam, inest quaedam uis; ut, quid est, quod literulas quasdam tanti faciamus, ut alijs nos esse anteponendos putemus? et, quid homunculi indignamur? Homonyma, quae aequiuoca nuncupantur, sophistarum sunt, et christiano oratori sunt fugienda, cum obscuritatis, et errorum mater sit ambiguitas. Synonyma, hoc est, idem significantia, poetae adhibent: quare non sunt certe laudandi nonnulli, qui, copia synonymorum, opinionem eloquentiae aucupati sunt, et ea ratione in aures uulgi illabi studuerunt. Vetusta nomina, etsi admirabilem magis efficiunt orationem, parce tamen adhibenda sunt, ne affectata, dicenti opinionem minuant.

De Metonymia, et synecdoche. CAP. X.

METONYMIA utuntur Ecclesiastici oratores; qua continens,

pro eo quod eo loco continetur, ponitur; ut si cælum pro cælicolis dicamus, terram pro terrestribus; cuius est insigne exemplum prophetæ: Terra, terra, terra, audi uerbum domini. Vtuntur etiam interdum synecdoche; ea præsertim, qua, ex ijs, quæ rebus accidunt, res significantur, ut illud Esaiæ: Et conflabunt gladios suos in uomeres, et lanceas suas in falces; hoc enim paci consequens est. Alia schematum, et troporum genera quamplurima, ab oratoribus usurpari consueuerunt, quibus splendescit, et illuminatur oratio: de his ommittimus dicere, quoniam ad grammaticorum peritiam pertinent; neque etiam latine cum scribamus, facile esset communi, qua omnes utimur lingua, figuras, et ornamenta in medium ponere. Moneo huius libri lectorem, ut grammaticam artem ualde utilem, at etiam oratori necessariam non contemnat; præcepta quæ a pueritia didicit, ad usum reuocet; Grammatica utatur tanquam famula, ad animi sensa exprimenda; bonos grammaticos legat; imitatione, et exercitatione, stylum, qui est optimus dicendi effector, et magister, alat. De numeris etiam, longum et superuacaneum arbitror agere: Christi nuntius, diuinæ uoluntatis interpres, in minimis non est occupandus; præterquam quod in hoc satis bonum, et magni faciendum est aurium iudicium; quibus est consulendum, ne eodem semper sono feriantur; et ne nimium numerosa oratione utentes oratores, canere potius cantilenas, quam ad populum dicere uideantur: in quos, illa uerba accomodari possunt: si loqueris, cantas; si cantas, male cantas.

De figuris, siue formis sententiarum. CAP. XI.

CVM duo sint figurarum, seu formarum, genera, uerborum, nimirum, et sententiarum; cumque de figuris uerborum, quantam subiecta materia postulare uidebatur, egerimus; reliquum est, ut de figuris sententiarum, in quibus magna eloquentiæ

Ecclesiastica pars, nempe, apposite dicendi ratio, constituta est, aliquid dicamus; quod eo minus alienum uidetur, quod eæ omnium linguarum generibus sunt communes. Est autem apposite dicere, cum ad docendum, tenue, et subtile genus dicendi adhibetur; ad laudandum, æquabile, et temperatum; ad commouendum, flectendumq. uehemens, et incensum. Ille autem docens aliquid aut credendum, aut sperandum, aut timendum, aut uitandum, aut agendum, apposite dicere putandus erit; qui ab initio id, de quo sibi dicendum sit, proponet; deinde quod propositum fuit, explanabit, definitione utetur, diuisione, rerum distinctione, breuem nonnunquam rationem subijciet; ad ea quæ proposita erunt, reuertetur; exemplo, et similitudine, rem declarabit, et illustrabit; breuiter interdum digredietur, unde deflexit oratio, se redire significabit; concludet interdum singulis argumentis, nonnunquam pluribus explicatis; quæ explicauerit, cum ijs quæ sequuntur, coniunget; frequentioribus membris, et cæsis utetur. Laudans uero christianas uirtutes, fidem, spem, charitatem, uirginitatem, martyrium; uituperans contraria; apposite dixerit, si maiestate, splendore, grauitate sententiarum, uerborumq. uarijs luminibus, quæ pulchritudinem, et uenustatem afferunt, utatur. Efficiet ut oratio ipsa, rerum, quas exornandas susceperit, imago sit, eas exprimat, et imitetur, ut illustris sit explanatio, resq. pene sub aspectum subijciat; mores imitetur; illustribus utatur translatis, utatur etiam augendi, minuendiue causa superlationibus; ijs, quæ sensu, et uita carent, sensum, et motum adiungat; multa sæpe in unum colligat, et coaceruet, quæ rem attingunt, cum ipsa re coniungat; cum locus fert, inserat antitheta, periphrasi utatur interdum, paronomasia, et aliquo acute dicto, uarijs aliquando sententiarum figuris orationem illuminet; utatur interrogatione, percunctatione, auersione, dubitatione, correctione, præteritione; tum ijs, quæ leporem, et uenustatem addunt

orationi, dissoluta geminatione uerborum, paulum immutato uerbo utatur, atque deflexo, eiusdem uerbi repetitione, conuersione, gradatione, amplificationibus, digreßionibus, rerum, et personarum descriptionibus: uerba sint lecta, suauia, grandia, sonora; suppellectile et copia propriorum, et translatorum, delectetur. Qui uero flectere animos, eosq. commouere sibi proposuit, ut de propria salute cogitent; ut ipse apposite dicat, necesse est, miris, uarijsq. modis auditores afficiat; monentis, hortantis, irascentis, accusantis, obiurgantis, conquerentis personam induat; demonstret hominum uitia, et peccata, excuset, purget eos, qui læsi uideantur, laudet, promittat, deprecetur, oret, scælera scælestis hominibus exprobret, exhorrescat, aliquid iubeat, increpet, insultet impijs, lamentetur, minitetur, terreat, significet propemodum esse desperandum, auditorum arbitrio permittat omnia, tanquam rebus deploratis, miretur, contestetur; speret tamen, consoletur, gratuletur bonis, lætetur, eos confirmet, et imitandos ceteris proponat, proferat uocem liberam, exclamet, optet, personam induat, communicet cum auditore, interroget quæ premant, et urgeant, dißimulet, sententiam suam reticeat. Singulas figuras, siue formas sententiarum describere, non esset difficile, sed longum, ac etiam fortasse superuacaneum; cum usu potius, et exemplis, quam præceptis, et descriptionibus, poßint disci, singularum, unum, duo, aut ad summum tria exempla proponemus, atque ex his aliqua his temporibus accommodata, ut facilius earum natura percipiatur, et ut singulæ a clericis, cum locus postulabit, ad usum libentius reuocentur.

Exemplum propositionis. CAP. XII.

SANCTUS Ioannes Chrysostomus, quem, aureum flumen christianæ eloquentiæ, recte appellauerimus, cum doceret populum,

pulum, orandum esse, ita proposuit: cuiusuis boni caput esse orationem, eamq. et salutem nobis afferre, et uitam æternam, nemo ignorat; hac tamen de re, pro uiribus dicere necessarium est, quo id consequamur, ut, et qui in orationibus, cultuq. Dei, uiuere sunt soliti; studium uehementius, et maiorem assiduitatem, ea in re adhibeant; qui segnes, ignauiq: uixerant, et animam siuerunt ab orationis ope deseri, tum præteriti temporis detrimentum intelligant, tum in reliquum uitæ tempus, ne committant, ut salute priuentur.

Exemplum diuisionis. CAP. XIII.

SANCTVS Gregorius Nazianzenus, quem Demosthenem christianum dixerimus, ostendens episcopalis muneris difficultatem, ita diuisione est usus: difficile est, eiusmodi orationem inuenire, quæ omnes conciliare, et scientiæ lumine collustrare possit; huius rei ea causa est, quod cum in tribus his rebus, periculum uersetur, mente, sermone, atque auditu; uix aliter fieri potest, quin, si minus ad omnia, ad horum unum impingamus: aut enim mens, superno splendore minime perfusa est; aut sermo languet; aut denique auris, quia nequaquam purgata est, doctrinam excipere nequit; quorum si unum acciderit, non minus, quam si omnia concurrant, ueritas claudicet, necesse est.

Exemplum distinctionis. CAP. XIIII.

SANCTVS Ambrosius cum doceret, Christum sequendum, hanc distinctionem adhibuit: si uulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si auxilio indiges, uirtus est; si mortem times, uita est; si cibum quæris, alimentum est. Qua ratione debeat proponere Ecclesiasticus orator, et qualis debeat esse propositio, dicemus paulo post:

item de diuisione, et distinctione, quas non solum formas sententiarum, sed etiam instrumenta dispositionis esse, facile est animaduertere.

Quo modo Ecclesiasticus orator possit ad propositum rationem subijcere; et unde deflexit oratio, redire. CAP. XV.

SANCTVS Gregorius Nazianzenus in laudem Heronis, docens, cur Hero fuerit athleta minime fictus, subijcit rationem: hic est ueritatis athleta minime fictus, et trinitatis ad sanguinem usque propugnator, atque eorum, qui ipsum, iniuriæ inferendæ causa, persequebantur, patiendi alacritate expugnator: nihil est enim quod persecutoris uim perinde frangat, ut patiens alacritas, et promptus animus. Sæpe poterit uti hac forma Ecclesiasticus orator: cupitis scire quamobrem in uarias calamitates incidatis, melioris spei filij decedant; qui supersunt, uos tristitia afficiant, uarijs morbis affligami ni, caritate annonæ, et alijs incommodis exerceat, aut puniat potius uos Deus? quia eius mandata non custoditis, quia iniusti estis in uos, et in alios. Is, quem paulo ante nominauimus, S. episcopus Gregorius Nazianzenus in Apologetico, cum officium sacerdotum exposuisset, in hominum reconciliatione, et salute uersari; salutis mysteria, omnia Christiq. ortum, facta miracula, passionem, resurrectionem, exornandi causa collegit, tum ad propositum rediens: Ac nos, inquit, huius medicinæ ministri, operisq. participes sumus; quicunq. superiori loco sedemus. Sic orator Ecclesiasticus utatur hac forma dicendi, ita dictante Spiritu sancto, ne illud quidem quod dixeram, cogitans, digressus sum, utinam aliquo cum uestro fructu, nunc redeamus unde deflexit oratio: quod quidem facere commode poterit semel, aut bis in concione.

Exemplum conclusionis. CAP. XVI.

DIVVS Basilius in oratione ad diuites, expositam rationem concludens: Quid igitur, inquit, tempus expectas, cum ne mentis quidem tuæ compos es futurus? ita Ecclesiasticus orator: Esto huius, et omnium meorum sermonum, concionum, et hortationum mearum conclusio; ut sitis uos populus Dei, hæreditas Christi, gaudium meum, et corona mea, humana contemnentes, huius exilij obliti, ad cælestem patriam aspiretis. quæ dicendi forma, ruri maxime adhiberi posse uidetur, atque etiam crebro.

Transitionis, et Repetitionis exemplum. CAP. XVII.

SANCTVS Chrysostomus cum orationem ostendisset, peccata expiandi uim habere; sic ad aliud argumentum transit: Nec uero peccata solum purgat oratio, sed pericula etiam grauissima depellit; deinde exemplis id confirmat, et pluribus explicatis, sic ad oracula Christi, orationem transfert: quæ iam commemoraui, satis sint ad uim, et potestatem, sanctarum precum ostendendam; melius uero fortasse est ad sacras literas accedentem, ex oraculis Christi intelligere, quas diuitias, preces ijs concilient, qui in ijs omnem ætatem ponunt. Agens orator Ecclesiasticus de curiositate, quam otij filiam nominamus, ubi ostenderit curiosos non solum tempus conterere, rem pretiosissimam, sed discordias serere; subiunget, sibi etiam odium comparare solitos, et cum maxime soleant esse delatores, in uarias plerunq. calamitates incidere. Repetitionis hoc est exemplum: Christiani, membra Christi auersamur, et fugimus; christiani, aciem Christi deserimus; christiani iterum, quantum in nobis est, Christum peccatis nostris crucifigimus.. Eiusdem figuræ hoc etiam est exemplum: Qua ratione redimi possunt peccata? eleemosyna; qua ratione

fœneramur

æneramur Deo? eleemosyna; quod est aurum ignitum, quo locupletes fieri possumus? eleemosyna: quare, eleemosynis propriæ nostræ saluti consulamus, et dominum inuitemus, ut misereatur nostri.

De figuris, quæ in temperato dicendi genere adhibentur; ac primum de illustri explanatione, et sub aspectum subiectione. CAP. XVIII.

DECLARENTVR aliquot ex ijs figuris, quæ in temperato dicendi genere adhiberi consueuerunt. Illustris explanationis; atque etiam rerum sub aspectum subiectionis præclarum est exemplum apud B. Basilium, cum diuiti auaro, terrorem extremi incutit iudicij: Nunquam ne, inquit, ex ista temulentia, sobrius es futurus? non sanam mentem recipies? ad te tandem redibis? non Christi iudicium ante oculos pones? quam defensionem afferes cum ij, qui a te sint iniurijs, et contumelijs uiolati, te circumsistent, et ad iustum iudicem, clamoribus incessent? quid facies? quos patronos mercede conduces? quos testes adhibebis? quo pacto eum iudicem qui decipi nequeat, in errorem impelles? nullus ibi orator, nullum uerborum lenocinium, quod ueritatem iudici possit eripere, adulatores non sequuntur, non pecuniæ, non dignitatis amplitudo, desertus ab amicis, ab adiutoribus, a patronis, defensionis erepta facultate, probris, et ignominia affectus, arripieris, mæstus, tristis, demissus, destitutus, sine ulla uel mussitandi libertate; quocunq. enim oculos conuerteris, perspicuæ malorum imagines tibi obuersabuntur, hinc orborum lachrymæ, hinc uiduæ gemitus, ex parte altera, pauperes a te, pugnis percussi, serui lacerati, irritati uicini, et ad iracundiam inflammati omnia in te irruent, triste agmen circunstabit facinorum tuorum, atque scelerum. D. Ambrosius de S. Tecla uirgine, sic scripsit: Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi, muto testificantem sono, quod sacrum uirginis corpus uiolare non posset: ergo adorabat prædam

ſuam beſtia, et propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiſerant; uideres quadam naturæ transfuſione homines feritate indutos, ſæuitiam imperare beſtiæ, beſtiam exoſculantem pedes uirginis, docere quid homines facere deberent: tantum habet uirginitas admirationis, ut eam etiam leones mirentur: non impaſtos cibus flexit, non citatos impetus rapuit, non ſtimulatos ira exaſperauit, non uſus decepit aſſuetos, non feros natura poſſedit; docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam caſtitatem; dum uirgini nihil aliud niſi plantas exoſculantur; demerſis in terram oculis, tanquam uerecundantibus, ne mas aliquis, uel beſtia uirginem nudam uideret. Hæc figura ſententiarum, maxime adhibenda eſt ad docendum aliquid, frequenter in genere demonſtratiuo. Ita ſub aſpectum ponere poterit Eccleſiaſticus orator reipub. chriſtianæ calamitatem, cum docuerit, uitandum amorem huius mundi. Conſiderate fratres, intuemini imaginem orbis terræ; maior pars, impia Mahumeti tyrannide oppreſſa eſt; in ijs, qui Chriſtum agnoſcunt Deum, quot monſtra opinionum? quot portenta hæreſum? quam uarij et peſtiferi errores, multorum mentes infecerunt? nos qui ſanctam matrem Eccleſiam ſequimur, et in fide non erramus, noſtram fidem operibus non confirmamus: uix fides, uix ſinceritas, uix pudor apud nos reperitur.

Quo modo fiat tragica rerum expoſitio. CAP. XIX.

ILLVSTRIS etiam explicationis eſt, lamentabile aliquid, et acerbum, tragice exponere; tum miſericordiæ commouendæ cauſa, tum horroris; huiuſmodi exemplum eſt apud B. Baſilium, in oratione de martyre Gordio: Tota urbe tumultus erat, ſummaq. rerum omnium perturbatio, a uiris ſanctiſsimis atque integerrimis prædæ abigebantur, pecuniæ diripiebantur, hominum, Chriſti aman-

tium corpora lacerabantur, per mediam urbem matronæ trahebantur: non pueritiæ misericordia erat, non uerecundia senectutis, innoxij, et insontes homines supplicia facinorosorum sustinebant, ad recipiendos iustos carceres angusti, domus opulentæ, et copiosæ deserebantur; profugorum, et miserorum exulum plenæ solitudines. Interdum calamitosis his temporibus, ubi ad preces Deo fundendas populus excitatur, adhibenda est hæc tragica expositio, uerbi causa, de amissa Nicosia nuncius est acceptus, ita narret: Assur immanissimus Turcarum tyrannus, uirga furoris, et baculus iræ domini, ita eo permittente, percussit nos, regnat, et indies crescit impietas, triumphat dira crudelitas, regnum nobilissimum in tyranni potestatem redactum est; opulentissima urbs, regni caput, Archiepiscopatus sedes capta est, sanctissima templa uastata; qui reipub. Venetæ nomine regebant, primarij etiam illius regni uiri miserabiliter obtruncati, uiolatæ uirgines: igne, et flamma decor extinctus ciuitatis, cæsi innumerabiles homines, multi etiam captiui, ut haberent, unde christiani nominis hostes insultarent, Bizantium sunt perducti. Quibus rebus ante oculos positis, hortari poterit ad preces, atque etiam ad orandum pro illis, qui pro Christo fortiter occubuerunt.

De uita, et morum imitatione. CAP. XX.

BEATVS Basilius in extrema oratione in diuites, eorum mores imitando exprimit, dum cogitationem eorum, et sermonem proponit, qui mortuos nefarie compilant, nec ijs propter auaritiam iusta persoluunt. Si diuitiarum, inquit, es cupidus, nihil alijs facias reliqui fortunarum tuarum, omnia tua facito, omnia deporta, ne pecuniam tuam alienis relinquas. fortasse enim te domestici ne ornamentis quidem extremis decorabunt, subitæ leuiq. sepulturæ tradent, se ad hæredum tuorum beneuolentiam, gratiamq. adiungent, et ad-

et aduersum te sapientiæ nomen etiam usurpabunt; ineptiæ est, inquient, mortuos exornare, et eum qui nihil iam sentiat, magnifice, splendideq. efferre; annon satius est præclaro amictu atque pretioso superstites ornari, quam una cum cadauere, ad putredinem dare tanti pretij uestem? quisnam fructus est monumenti eximij, splendidæq. sepulturæ sumptus inutilis, cum sit ijs quæ supersunt, ad necessarium cultum uitæ utendum; hæc illi dicent, et acerbitatem tuam, atque importunitatem ulciscentur, gratiam cum illis, ad quos hæreditas uenerit, ineuntes. Quamobrem ipse præoccupa, teipsum manda sepulturæ; præclarum sepulturæ ornamentum est pietas; decede rebus tuis omnibus amictus, diuitias, proprium ornatum tuum, tecum fac habeas. D. Chrysostomus in primam ad Corinth. epistolam, de dominico corpore, christianum hominem secum ita loqui iubet: Cum id propositum uideris, dic ipse tecum: huius gratia corporis iam terra non sum, iam non sum cinis; non captiuus, sed liber; hoc ob corpus cæli adipiscendi, eorumq. bonorum, quæ in cælo reposita sunt, spem habeo, diuinam, et immortalem uitam spero, angelorum locum, Christi societatem, hoc cruci affixum corpus, et flagellis cæsum mors ferre non potuit, hoc corpus in crucem sublatum conspicatus sol radios auertit, huius corporis religione tum uelum scissum, saxa perrupta, commota terra est; hoc illud cruentum corpus est, et lancea percussum, unde orbi terrarum salutares fontes sanguinis, et aquæ perfluxerunt. Hac figura utetur orator Ecclesiasticus: Vlciscere iniurias illatas, occide inimicum tuum, filios tuos hæredes huius intestini odij relinque, imminue patrimonium tuum, dita prætorios ministros, te ultorem iniuriarum accerimum omnes prædicent; considerabis deinde num recte feceris. Magnam uim habet hæc forma dicendi, ad dissuadendum aliquid, et ad prauam aliquam consuetudinem remouendam.

Metaphora, et Allegoria exemplum. CAP. XXI.

SANCTVS Cyprianus in sermone de zelo, et liuore ita metaphora usus est: Porro autem dominus prudentes esse nos iussit, et cauta sollicitudine uigilare præcepit, ne aduersarius uigilans semper, et semper insidians, quando in pectus obrepat, de scintillis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret, et dum remissis, et incautis, leniore aura, et flatu molliore blanditur, procellis, et turbinibus excitatis, ruinas fidei, et salutis ac uitæ naufragia moliatur. Basilius de laude ieiunij, pulchram adhibet metaphoram: Ieiunij reuerere canitiem, æquale est humanæ naturæ. Idem S. Basilius in quadam oratione, præclarissima allegoria, ita usus est: unusquisq. nostrum priusquam in ultimum discrimen, et perniciem adducatur, oneris partem quamplurimam deponat, priusquam scapha fluctibus obruatur, mercium iacturam faciat, quas nullo iure collegerit, et imitetur nautas. illi enim si quid rerum necessariarũ in naui uehant, ac tempestas grauior, et periculosior excitetur, quæ nauim pondere oppressam, se minitetur obruturam, quam celerrime possunt, magnam eijciunt partem, ac nihil parcendo, merces in mare exhauriunt, quo nauis subleuetur, et integris, saluisq. corporibus, periculum euadant; hoc nos multo magis quam illos, et consulere oportet, et facere. Admodum raro ad populum putarem oratori Ecclesiastico, conficiendam allegoriam, ne obscura reddatur oratio. Quomodo autem sint explicandæ, et adhibendæ allegoriæ, paulo post cum de ratione explicandarum sacrarum literarum tractabimus, dicemus.

Imaginis exemplum. CAP. XXII.

IMAGINIS exemplum est apud Esaiam: Quasi parturiens dolebunt: et apud Hieremiam, Quia inuenti sunt in populo meo

impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas, ad capiendos uiros. Ita Ecclesiasticus orator, ruri inquietos rusticos, appellabit crabrones, usurarios sanguisugas; utetur frequentibus imaginibus ad rem imprimiendam.

Exempla similitudinum, quæ ornatam efficiunt orationem. Cap. XXIII.

SIMILITVDINES *non solum ad probandum aliquid, sed etiam ad delectandos animos adhibentur, idcirco inter figuras sententiarum, similitudo collocatur. Basilius in auaros inuehens, ita facit auarum loquentem: Cui uero iniuriam facio, si mea contineam? cedo quænam tua sunt? unde sumpta in uitam intulisti? ut si quis in theatro spectaculum occuparit, deinde adeuntes prohibeat, iudicans proprium, quod ad usum communiter pateat uniuersis; tales sunt diuites, cum res communes præoccuparint, sibi ut proprias arrogant. Chrysostomus, in primam ad Corinth. Epi. de dominico corpore sine indignitate sumendo, ita scribit: Hoc mysterium; hic terra tibi facit cælum; patefacito cæli ualuas, atque introspice, uel potius non cæli, sed cæli cælorum, tum quod dico uidebis. nam quod ibi clarissimum est, et amplissimum, hoc in terra positum demonstrabo; ut enim in regia, quod omnium honestissimum est, et splendidissimum, non parietes sunt, non aurea laquearia, sed in præcelso solio positum regis corpus, ita in cælis corpus est regis nostri, at hoc idem in terra potes intueri; etenim non angelos tibi, nec archangelos, non cælos, sed ipsum Dominum ostendo. uiden quod omnium rerum præstantissimum est, ut in terris cernas? nec cernas solum sed attingas, non solum attingas, sed comedas, et eo sumpto, domum reuertaris? absterge igitur animum, compara mentem tuam, ad susceptionem horum mysteriorum: nam si regius in regijs ornamentis puer, in purpura, et diademate tibi gestandus*

standus esset, nonne omnia uilia ac terrestria abijceres? iam uero non regium filium hominis, sed ipsum Dei filium unigenitum sumens, obsecro nonne exhorrescis, nonne omnium humanarum rerum amorem abijcis? et his ornamentis solum gloriaris? etiam terram aspicis, pecuniam adamas? aurum admiraris? quis tibi reliquus est ignoscendi locus? quæ defensio? Ad docendum, magnam uim habet usus similitudinum, in quibus tamen delectus habendus est, ne alicuius rei turpis, similitudo adducatur, et ne copia similitudinum poeticum quid Ecclesiasticus orator redoleat.

Exemplum Hyperboles. CAP. XXIIII.

HYPERBOLE *usus est D. Augustinus in auaros inuehens: Terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aer suo fine concluditur, cælum suis terminis arctatur, sola auaritia terminum nescit. O auare si terra tibi cuncta datur, mare quæris; sed si terra, et mare, aerem petis; sed si terram, mare, et aerem possideres, adhuc cælum ambis, et ipsum penetrare affectas; et si cælum penetraueris, adhuc non quieueris, donec te Deo æquaueris, uel fueris superior altissimo. Hyperbole ad commouendum, et detestandum adhiberi solet, sed raro, ut diximus, adhibeatur, ne ineptus iudicetur orator.*

Quo modo sensus, et mens rebus tribuantur, quæ ijs careant. CAP. XXV.

BEATVS *Basilius in eos inuehens diuites, qui dicunt, petentibus copias suas non posse sufficere, ita inquit: Lingua iuras, te manus redarguit, tacita enim manus mendacium tuum prædicat, annuli gemma circumfulgens. idem in oratione prima de ieiunio: Quid enim uirum fortissimum Sampson inuictum effecit?*

nonne ieiunium cuius ope matris aluo conceptus est? ieiunium eum in utero tulit, educauit, ad ætatem uirilem prouexit, et corroborauit. et in eadem oratione: Det aliquas uēter inducias, det, et fœdus nobiscum in dies quinque feriat, qui semper efflagitat, nec ullū modum facit, qui hodie accipit, cras obliuiscitur; cum satur est, tum de continentia philosophatur, obliuiscitur decreta, cum difflarit. Eadem ratione dicet orator Ecclesiasticus: Superuacaneæ uestes, sumptuosa conuiuia testantur uos non egere, uos non diligere pauperes, qui eis sua subtrahitis, ut crapulemini. Illustrius etiam hæc forma dicendi adhibeatur. Urbs Bizantium, quas uoces emitteret, si loqui posset? ita uos iuuenes alloqueretur: ite, pugnate alacriter, nobilissimam ciuitatem ad uexillum Christi restituite: ueniant nunc Chrysostomi, qui me squallidam, et plane mortuam reficiant, ac nutriant: interficiatur scœlestissimus sathanæ minister, qui me miseram tot iam annos opprimit. Quæ dicendi forma ad impellendos homines ad bellum, plurimum ualebit.

Qua ratione coaceruare possit Ecclesiasticus orator. CAP. XXVI.

MVLTA in unum coaceruauit Gregorius Nazianzenus in oratione de laudibus Heronis, ad eum orationem conuertens, cum dixit: Quocirca ut pro fide, et pietate bellum suscipis, ita tibi inuicem ab impietate bellum infertur, atque præter alias multas dimicationes, quas, dum priuatos, et principes erudis, publice atque priuatim, quouis deniq. tempore, et loco doces, admones, arguis, increpas, uirtutis causa suscepisti, ab impio, et uesano magistratu correptus, uirgis laceraris. Ita coaceruabit Ecclesiasticus orator: Miserum, iusto Dei iuditio, concitatum est in rempub. christianam bellum, uexant acrius quam unquam antea, domestici, et acerrimi inimici, sathanas, mundus; et origo communium miseriarum caro, affligit immanissimus turca; eius tyrannidi, noua quotidie

regna

regna subijciuntur; discordia utinam nostra, et peccata, iram Dei in nos magis non prouocent: quid igitur faciemus? lugeamus, doleamus, peccata nostra confiteamur, ad misericordiam Dei confugiamus.

Quo modo coniungantur ea, quæ rem attingunt, cum ipsa re. CAP. XXVII.

BEATUS Basilius de intemperantibus fœminis loquens, ait, Intemperantes fœminæ, diuiniq. timoris oblitæ ignem æternum contemnentes, eo die, quo eas oportebat ob recordationem resurrectionis Domini, quietas sedere, et illum diem in mentem ac memoriam reuocare, quo cœli patefient, quo de cœlis se nobis iudex in conspectum dabit, tubarum Dei clangor, suscitatio a mortuis, iustum iudicem futurum, et æqua pro cuiusque factis præmia, pro eo ut hæc animis et ratione expendant, corda sua, prauis cogitationibus purgent, præterita peccata, et scelera lachrymis deleant, seque in occursum Christi, ad magnum diem eius Aduentus comparent; excusso Christi seruitij iugo e capite, abiectis honestatis, et modestiæ integumentis, contempto Deo, spretis angelis, marium aspectu per singularem impudentiam, recepto, comis reiectis, et expansis, tunicas trahentes, et una pedibus ludentes, intemperantibus, et proteruis oculis, effuso cachinno, ad saltationis insaniam stimulatæ, iuuenum libidinem omnium, et lasciuiam ad se allicientes, institutis choreis, in ijs quæ ante urbem sunt, martyrum monumentis, religiosissima loca, fecerunt turpitudinis, et flagitiorum suorum officinam. Qui locus poterit accommodari in solennitate Natalis Domini nostri Iesu Christi, quo tempore, deprauata quædam irrepsit consuetudo, ut iocis, choreis, sumptuosis conuiuijs, consanguinei, et affines se mutuo inuitantes, illos dies consumant. In his ciuitatibus, aut oppidis, ubi luxui homines sunt dediti, dicere poterit Ecclesiasticus orator. Quid

agunt

agunt quidam ex uobis, ingurgitant non concoquunt, eis pituita molesta est, oriuntur febres, immaturo tempore senescunt, decidit memoria, libidine cruciantur, minuunt patrimonium, miseri in hac uita ad mortem perpetuam festinant. Valet hæc forma dicendi inprimis ad docendum aliquid, ut suadeat, aut dissuadeat orator.

Antithetorum, et Periphrasis exempla. CAP. XXVIII.

SANCTVS Episcopus, et martyr Cyprianus in libro de patientia, de Christo loquens, pulchris anthi:etis usus est, his uerbis: Vt insultantium sputa patienter exciperet, qui sputo suo, cæci oculos paulo ante formasset; et cuius in nomine nunc a seruis suis zabulus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur; coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat æternis; palmis in faciem uerberaretur, qui palmas ueras uincentibus tribuit; spoliaretur ueste terrena, qui indumento immortalitatis cæteros uestit; cibaretur felle, qui cibum cælestem dedit; aceto potaretur, qui poculum salutare propinauit. B. Ambrosius de uirginibus scribens, eleganter hanc figuram adhibuit: Non est, inquit, Christus circumferaneus; Christus enim est pax, in foro lites, Christus charitas est, in foro obtrectatio. Anthitetis uti poterit orator, docens spiritualis uitæ commoda, et sanctas oblectationes: uoluptates corporis debilitant corpus, gaudia spiritus uim animi augent; illæ pœnitentiam, hæ lætitiam, illæ infamiam, hæ laudem coram Deo, et hominibus, pariunt. Hac figura oratores utentes, maxime rem ante oculos ponunt. Periphrasim hanc adhibuit S. Gregorius Nazianzenus de laudibus Heronis: Enimuero, quando te ut par erat, ad nos recepisti; atque ille, qui eos a quibus glorificatur, glorificat; et eos a quibus irritatur, irritat; qui eorum, a quibus timetur, uoluntatem explet, et mortuis rursus uitam inspirat, qui ut Lazarum quatriduo postquam e uita migrauerat, sic te post quadriennium ad

uitam reuocauit; qui iuxta Ezechielis, prophetarum omnium admirandi excelsiq. uisionem, ossa cum ossibus, et iuncturam cum iuncturis connectit, quando, inquam, ille cupientibus nobis, cupientem te reddidit, fac in ijsdem uitæ studijs, et sermonis libertate perseueres, ne allioquin in eam opinionem homines adducas, ut te afflictionibus fractum, atque deiectum fuisse, philosophiamq. per ignauiam prodidisse arbitrentur. Hoc loco, pro nomine Dei, periphrasi grauissima et splendidissima usus est. ille idem, in laudem Athanasii, et periphrasi usus est, et descripto nomine: Lucernam illam luci præeuntem, uocem sermoni, mediatorem mediatori, mediatorem, inquam, noui, et ueteris testamenti, Ioannem illum egregium. Ad Nazianzeni imitationem, poterit Ecclesiasticus orator uti hac periphrasi: Ille, qui eos, quos solet euehere, maxime decipit; qui, qui uitia uirtutis specie plerunq. extollit; qui eos, a quibus magis diligitur, sæpius fallit; probitatis, et innocentiæ irrisor, a quo nemo tandem interdum non est deceptus, dissimulationis, adulationis magister, honorum, et diuitiarum admirator, impurarum uoluptatum minister, et callidus sophista, et bonorum etiam ingeniorum corruptor, ille est, quem amatis: quid creditis mundum esse? mundus est is, quem uobis descripsi.

Paronomasiæ, et interrogationis exempla. Cap. XXIX.

Beatus Basilius in eo explicando, Destruam horrea mea paronomasia usus est: Habes, inquit, horrea, uentres pauperum. Chrysostomus in epistolam ad Timoth. fac, inquit, tibi debitorem Deum, et quiduis pete; primum fænerare, deinde repete, ut cum usuris recipias, tende manus tuas non solum in cælum, sed etiam in pauperum manus. si eo manus porrexeris, uerticem cæli tanges; nam qui ibi sedet, eleemosynam accipit, si manus infructuosas sustuleris, nihil fructus capies. S. P. Ambrosius de uirginibus, de

B. Virgine

B. Virgine Maria loquens, ita scripsit: Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habeat. Hac Paronomasia aptissime utetur Ecclesiasticus orator, ad consolandos pauperes: Quid creditis; multi pauperes sunt diuites, diuites gratia, diuites humilitate, diuites patientia; multi autem diuites sunt magis pauperes, quam ij, qui sunt pauperes humilitate, misericordia, christianis uirtutibus. Interrogationis exempla innumerabilia sunt apud sanctos patres; ex quibus, hoc uno erimus contenti, quod S. Ambrosius in lib. de uirginibus, de B. Virgine, uerba faciens, imitandum proponit. Quando, inquit, ista uel uultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando uitauit inopem? eos solos cætus uirorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret uerecundia: nihil toruum in oculis, nihil in uerbis procax, nihil in actu inuerecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non uox petulantior, ut ipsa corporis species, simulachrũ fuerit mentis, figura probitatis. Hæc figura in quocunque dicendi genere, commode adhiberi potest; sed in primis confert ad perspicuitatem orationis, et ad docendum. Sic ea uti licebit: Cogitatis, fratres, interdum uos esse homines ad imaginem, et similitudinem Dei factos? cogitatis, sanguine D. N. Iesu Christi uos esse redemptos? cogitatis quid pro uobis in sanctissimo Baptismatis sacramento, sponsores uestri polliciti sint? certe rerum omnium, quas commemoraui, uos oblitos esse, quispiam posset existimare, cum sic uiuatis, ut nec dignitatem hominis, nec beneficia quæ a Deo accepistis, recordari uideamini.

Percunctationis, Auersionis, et Dubitationis exempla. CAP. XXX.

PERCVNCTATIONIS exemplum est illud Gregorij Nazianzeni in Cæsarij, cum imperatore congressuri, laudibus:

Num dubitatitis ne quid Cæsario accidat, huiusmodi animi alacritate, parum dignum? at bono estote animo, uictor enim discedet, iuuante Christo mundi uictore. Percunctatio adhibenda est, cum res dubia uidetur incidere, et accommodari potest ad populum, in hunc modum. Num putatis aliquem esse, qui crucem suam non ferat? mihi credite, et reges, et principes, et omnium generum homines, ferunt crucem suam, maiorem illi, quos fæliciores putatis. Auersionem idem Nazianzenus usus est, cum ad Cæsarium ita orationem conuertit: Habes a me Cæsari funebre munus, habes orationum mearum primitias, habes a me, ornamentum omnium ornamentorum. Sic auersione utatur Ecclesiasticus orator, excitans populum ad christianas uirtutes: Accepistis, fratres, a me quæ sit uoluntas Dei; accepistis quid sanctum Euangelium doceat: reliquum est, ut ne frustra uos sermoni meo interfuisse uideamini, operibus ostendatis. Dubitationem adhibuit Basilius in temulentos: Quomodo in his rebus me geram? si et oratio inutilis est, et silentium, difficultates multas, et incommoda habet? diligentiam, et curam omittemus? at periculum habet negligentia; an in ebrios aliquid loquar? at mortuis auribus insonamus. Ita oratorio quodam modo adhiberi potest figura, quæ dicitur dubitatio, et ualet ad docendum, atque ad delectandum. Surdis canam fabulas, necne, uehementer dubito, quod quidem mihi maxime molestum esset. et alio modo, eadem figura utens dicere poterit: Interdum dubito, ne nimis obscura uideatur uobis oratio mea, cum re, uos non percipere quæ dico, ostendatis.

Correctionis, Præteritionis, et paulum immutati uerbi, exempla. CAP. XXXI.

CORRECTIONIS *exemplum extat apud B. Basilium, in oratione prima de ieiunio. Quid facilius, inquit, et leuius uentri*

uentri est, tenuitate uictus, noctem traducere; an ciborum copia oppressum iacere? uel potius ne iacere quidem, sed crebro se uersare cum gemens disrumpitur? nisi forte dicas, gubernatores, oppressam onere nauem facilius seruare, quam leuiorem, atque expeditam. Hac dicendi forma ad reprehendẽdũ uti poterit Ecclesiasticus orator: Multi ita se diligunt, aut potius se non diligunt, ut adulationibus delectentur, et monitores suos odio habeant. Præteritio illa dicitur, quæ est apud Nazianzenum in apologetico. Ac tot tamq. graues sunt, tum in reliquis animorum morbis, tum in doctrina etiam ipsa, peruersæ, peruersiq. spiritus notæ, et impreßiones, tãtumq. ei negotium incumbit, cui hæc moderandarum, regendarumq. animarum cura commissa est. plura etiam, ne modum excedat oratio, prætermittimus. Venustatem, et pulchritudinem orationi affert, paulum immutatum uerbum, atque deflexum, ut est apud eundem Gregorium Nazianzenum, qui in Iulianum impium religionis Christianæ desertorem inuehens, eum uerius ait, Idolianum appellari. Si commode cadat, hæc figura uti poterit orator, sed admodum raro, ne acumen ostentare uideatur; ut Veronæ non incommode dicere poterit, Veronam dictam esse, ut esset uere una in Christo, in sancta Ecclesia, et omnes amore inter se essent coniuncti. qua figura uti poterit orator, dum ad sedandas discordias, et ad remittendas iniurias populum excitabit.

Gradationis, Digreßionis, et Descriptionis exempla. CAP. XXXII.

GRADATIO præclarißima est apud Apostolũ. Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio uero spem, spes autem non confundit. In temperato dicendi genere, digreßiones magnam copiam, et uenustatem afferunt orationi, ut obseruauimus apud Nazianzenum

zianzenum in oratione, quam habuit de amandis pauperribus: cum dixisset, eos non præcipuo quodam miserationis affectu, permouere debere, qui sacro morbo labefactati, atque infecti sunt, et ad carnes usque ad ossa, et medullas exesi, consumptiq. atque ab hoc flagitioso, et infido corpore proditi: ibi, corporis mentione facta, locum digrediendi nactus, cui, inquit, quomodo coniunctus sim, haud equidem scio; et quo pacto simul, et imago Dei sim, et cum cœno uoluter; quod, et cum incolumi ualetudine est, bello me insectatur; et cum bello premitur, excruciat, mæroreq. afficit, quod, et ut conseruum amo, charumq. habeo, et ut inimicum, infestumq. detestor, quod, et ut uinculum fugio, et ut eiusdem hæreditatis particeps reuereor; si macerare, et debilitare contendam, iam non habeo, quo socio, et administro, ad res præclarissimas obeundas utar; nimirum haud ignorans cuius rei causa procreatus sum, quodq. mihi faciendum est, ut per actiones ad Deum ascendam, sin contra ut cum adiutore, et ministro, mitius, indulgentiusq. agere mediter, nulla iam ratio occurrit, qua, rebellantis impetum fugiam, et omnino a Deo excidam necesse est, corporis compedibus degrauatus in terram detrahentibus; hostis est blandus, et facilis, insidiosus amicus. proh Deum immortalem quæ isthæc coniunctio est? quæ inimiciarum, dissidijq. ratio? quod uereor, amplector, quod amo, perhorresco; antequam bellum geri ceptum sit, in gratiam cum eo redeo; antequam sit pax constituta, ab eo dissideo. qua præclarissima dissresione absoluta, ita ad propositum redit: Sed de his, qui uolet, disserat, nosq. etiam aliquando commodius disseremus; nunc autem, et quæ sequuntur. Dicemus etiam aliqua de digressionibus, ubi de propositione, quæ est præcipua dispositionis pars, præcepta quædam trademus. Descriptiones autem multæ reperiuntur apud sanctos patres: nam Gregorius Nazianzenus in Cæsarij funere, terræ motum describit, Nicææ

factum:

factum. In laudibus Athanasii, uitam, moresq. exprimit Gregorij cuiusdam Cappadocis; ac paulo infra, monasteriorum Aegypti iniecta mentione, in exilio Athanasii, eorum discrimina, religionem, sanctimoniam, utilitatem ad homines permanentem, cum descripsisset, tum ad propositum reuertens, cum his, inquit, consuetudinem habens magnus ille uir. Idem in Apologetico, pastoritiam uitam iucunde, et uenuste depingit. et Basilius in laudem quadraginta martyrum, qui, frigore occubuerunt, is cruciatus quantus sit, declarat, sumptis rationibus a philosophis. Descriptiones maxime pertinent ad genus demonstratiuum; ualent etiam interdum ad docendum, et ad commouendum. Sterilitatem, si opus erit, poterit Ecclesiasticus orator describere, excitans ad eleemosynam, et ad pœnitentiam. Ideo tamen, descriptione utatur, non ut sibi ea in re placere uideatur, sed ut res potius ante oculos ponat.

De figuris quæ in uehementi dicendi genere adhibendæ sunt, ac primum quomodo orator monere, et obsecrare debeat auditores. CAP. XXXIII.

AFFERAMVS in medium etiam exempla formarum, quæ in uehementi, atque incenso dicendi genere adhiberi possunt, ut clerici cum in hoc genere uersabuntur, habeant quæ imitentur. Ac primum monendi exemplum est illud Apostoli: Fratres nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. et illud: Non ut confundam uos hæc dico, sed ut filios charissimos moneo; nam etsi decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres. S. Leo Pontifex hac dicendi forma utitur in quodam sermone, his uerbis: Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et diuinæ consors factus naturæ, noli in ueterem uilitatem, degeneri conuersatione redire: memento cuius capitis, et cuius corporis sis membrum: reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, et signum. ita

Ecclesia-

Ecclesiasticus orator, ubi euangelij partem, aut epistolæ explicauerit, monebit auditores; se eorum peccata commemorasse, ut cum illis communem calamitatem lugeret; ut illa commemoratio, ille luctus interior, pœnitentiam salutarem pareret. Obsecrantis personam sumpsit Apostolus, cum scribens ad Ephesios, dixit: Obsecro uos ego uinctus in Domino, ut digne ambuletis in uocatione, in qua uocati estis. Ad cuius loci imitationem orator Ecclesiasticus, postquam docuerit, quid Christianis agendum sit, ita obsecrantis personam induat: Obsecro uos, charissimi filij, quos D. N. Iesus Christus meæ fidei credidit, quos uita chariores habeo, quibus iter uere beatitudinis ostendere imprimis studeo, obsecro, inquam, uos, ut uobis ipsi attendatis, cogitetis qui sitis, sub cuius uexillo militetis.

Qua ratione execrantis, et contemnentis personam induere possit orator. CAP. XXXIIII.

EXECRATVR *Cyprianus fidei desertores, cum ait: Pereant, qui perire uoluerunt, extra ecclesiam soli remaneant, qui ab ecclesia recesserunt, soli cum Episcopis non sint, qui contra episcopos rebellarunt, coniurationis suæ pœnas subeant. Qua forma dicendi raro utetur Ecclesiasticus orator; poterit tamen uti interdum inuehens in publicos usurarios, aut adulteros, uerbi causa, post longum sermonem, ita execrari: Eijciantur qui occidunt homines usuris, qui contaminant sanctum matrimonium, qui opprimunt pupillum, et uiduam. Contemnit omnia Apostolus scribens ad Philippenses præter eminentem scientiam Iesu Christi, propter quem omnia, inquit, detrimentum feci, et arbitror stercora esse: ut Christum lucrifaciam. Ita etiam orator, ubi uitia acriter reprehenderit, excitans ad rerum humanarum contemptum, interdum dicat, se omnia contemnere, ut animas lucretur Christo, his uerbis utens: Me miserum, si uos*

omnes me laudaueritis, si peccata uestra dissimulauero, si mea indulgentia; deteriores euaseritis, laudationes uestras, omnia commoda, omnes honore, nihil facio, ut uos Christo lucrifaciam.

Detestationis, Exprobrationis, Imprecationis, Increpationis, et Insultationis exempla. CAP. XXXV.

DETESTATVR Dominus per Amos prophetam superbos, illis uerbis: Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit dominus exercituum; detestor ego superbiam Iacob, et domus eius odi, et tradam ciuitatem cum habitatoribus suis. Eadem forma utetur Ecclesiasticus orator, detestans peruersos christianæ reipub. mores, præsertim illorum uitiorum, quibus magis populus, cui præest, est deditus. Exprobrat Apostolus: O insensati Galatæ, quis uos fascinauit? et sic per increpationem: hæccine popule stulte, hæccine reddis Domino, qui te, tot, et tam magnis afficit beneficijs? Horribilis imprecatio est apud Hieremiam, ubi ait: Propterea da filios eorum, et deduc eos in manus gladij, fiant uxores eorum absque liberis; et uiduæ, et uiri eorum interficiantur morte; iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Hæc figura, a zelo proficiscatur oportet, alioqui auctoritatem oratori adimeret. S. Gregorius Nazianz. in oratione de moderatione seruanda, increpat eos, qui pastoris munus sibi uellent assumere, illis uerbis: Quid pastoris munus, tibi ouis arrogas? quid pes caput fieri contendis? quid exercitum ducere aggrederis, in militum ordinem ascriptus? et B. Basilius ita inuidos increpat: Quid dolore afficeris, qui nulla sis lacessitus iniuria? quid oppugnas eum, cui res secundæ sunt, cum is nihil de tuis rebus, commodisq. detraxerit? sic orator; Quid miseri de patria exules nunquã cogitatis? sic uiuitis tanquam nunquam in aliam uitam migraturi? Dei filij adoptiui, fratres Christi, participes æternæ beatitudinis uos ipsi non

agnoscitis? cogitationes et curas uestras ponitis in rebus abiectis atque terrenis? Extat illa in impios insultatio Esaiæ: Vbi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, et incident, quid cogitauit Dominus exercituum super Aegyptum. Sic licebit insultare: Vbi sunt qui corrumpunt hoc oppidum? ubi reperiuntur inimicitiarum, et calamitatum huius oppidi, aut ciuitatis ministri? iam sunt mortui, aut miserrime uiuunt, nolite peruersos illorum mores imitari, ne eiusdem calamitatis, et miseriæ participes efficiamini. Quæ figura adhibenda est maxime, cum aliquid esse uitandum, Ecclesiasticus ostendet orator.

Qualiter gloriari, lamentari, et minari possit orator. CAP. XXXVI.

GLORIANDI *exemplum est apud Nazianz. in secunda oratione aduersus Iulianum; qui, cum ueterum prophetarum gloriationem pluribus uerbis exposuisset: sed quid, inquit, hæc colligo? ad præsentem rerum nostrarum statum, orationem conuertamus: non iam sacrosanctis ædibus nostris, oculos flagitiosos inijcient, non iam altaria, a purissimo, et incruento sacrificio nomen habentia, scelesto sanguine fœdabunt. Hac maxime figura, orationem suam illustrare poterit Ecclesiasticus orator, illis diebus, quibus auditores sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumere consueuerunt; sic poterit gloriari: Exeat nunc perennis animarum nostrarum hostis, exeat audissimus perditionis nostræ sathanas, et cum Christo, cuius sanctissimum corpus hodie sumpsimus, cui per fidem maxime iuncti sumus, congrediatur; uincemus, charissimi filij, quia imperator noster Christus semper regnat, semper uincit. Hæc figura commode adhiberi potest, cum sermo habetur in quibusdam societatibus, et licebit interdum uti illis uerbis: Gloriemur in Domino, fratres, ab eo enim accepimus, ut non admiremur ea, quæ tanti faciunt alij, et in unum coacti, portemus crucem nostram alacriter, sed portemus*

ſemper in Domino: Sæpe utitur lamentationibus Eccleſiaſticus orator, quæ ualet plurimum ad oſtendendā eius charitatem, et pietatem, in populum: commode autem hoc modo, adhiberi poteſt hæc figura: Me miſerum, quid laboribus, uigilijs, prædicationibus meis, quid meis precibus ad Deum, quid mea in hunc populum paterna pietate ſum conſecutus, cum me hortante, me rogante, me obſecrante, peruerſa hæc ſaltandi conſuetudo, hæc pernicioſa demonum ars, qua animæ irretiuntur, non tollitur. quæ dicendi ratio ad alia uitia, et ad alia peccata accommodabitur, et eo magis, qno grauiora erunt. Minarum exempla plurima reperiuntur in libris prophetarum; ut illud Eſaiæ: Væh qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam; et ad potandum uſque ad ueſperam, ut uino æſtuetis. Minantis perſonam commode aſſumet orator, ſi minetur res quæ imminent, aut quarum memoria moleſtiſsima ſit populo; uerbi cauſa: niſi reſipiſcamus, niſi ad pœnitentiam conuertamur, ſumpturum pænas Dominum de peccatis noſtris, maxime timendum eſt, ita eius exigente iuſtitia, terræmotu, fluuiorum inundatione, bello, fame, ac peſte puniturum populum. Vtatur hac figura in cœtu hominum, eo maxime tempore, quo proceſsiones fiunt, et in Iubileis, quæ a Chriſti Vicario, populis concedi ſolent,

Qua ratione terrere, mirari, et optare poſſit orator. CAP. XXXVII.

TERREBIT orator, ſi incommoda belli, penuriæ, peſtis, et maxime diuinæ indignationis effectus, ante oculos ponat. quæ figura maxime adhibenda eſt in oppidis, et præſertim ruri; uerbi cauſa: Non colligetis meſſes, fratres, filij ueſtri immatura morte uobis præripientur, uarijs calamitatibus opprimemini, quia Deum non agnoſcitis, quia eum blaſphematis, quia decimas fraudatis. Miratur interdum Eccleſiaſticus orator, inde occaſione ſu-

mens, agendi gratias Deo, uerbi causa, cum ecclesiam alicuius oppidi, admodum nobilem, et magnifice constructam intuetur, cum aliquod præclarum, et nobile institutum imitatione dignum, in oppidis reperit, cum dextera excelsi mutationē factā animaduerterit. Quæ figura raro adhibetur, et magna cum cautione, ne dum miratur, tacite laudare, aut adulari uideatur. Hac forma dicendi, uti possunt fortasse episcopi commode, dum diœcesim suam uisitant. Optationis exemplum est illud Esaiæ: Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris. Ecclesiasticus autem orator, cum aut ex munere suo, aut ad nobilissimum concionandi munus missus fuerit, optantis personam sæpe induet. cum enim paterna charitate complectatur eos, apud quos dicit; quæ patres optant filijs suis, hoc est quæ eorum uitæ, et eorum commodis sunt necessaria, ea pro animarum salute, et pro uitæ spiritualis incremento, ipse debet optare: et ideo, proprio nomine appellans uillam, aut oppidum, aut ciuitatem, in qua sermonem habebit, ubi quæ agenda sunt christiano, docuerit, explicans euangelium aut epistolam, poterit dicere: Vtinam saperes, utinam intelligeres, utinam nouissima præuideres, utinam tibi attenderes, utinam Dei uoces audires. et unam, aut harum duas quas dicimus optationes, poterit pluribus uerbis explicare.

De libera uoce, et de exclamatione. CAP. XXXVIII.

LIBERAM *uocem protulit Gregorius Nazianz. in laudibus Cæsarij, cum dixit: Meum munus est oratio, quam etiam fortasse posteritas exceptura est, nunquam intermorientem, nec eum, qui ex hac uita migrauit, prorsus abire sinentem, uerum in auribus animisq. hominum, quem ornandum susceperit, semper conseruantem; eiusq. qui desideratur, imaginem expressius, quam in*

tabula

tabula proponentem. liberam interdum uocem proferre poterit Ecclesiasticus orator, raro tamen admodum; uerbi causa: Quid potui facere, fratres, et non feci? nunquam per multum tempus a uobis discessi, uobis sanctissima sacramenta ministraui, uerbum Dei explicaui; pauperibus, quantum potui, opem tuli; paterno uos omnes amore dilexi; pro quibus rebus, quas gratias mihi habetis, fratres? nihil profuit mea diligentia, obfuit potius quibusdam, qui me monentem ferre non possunt, et ueluti phrenetici, animarum suarum medicum auersantur. Sed adhibenda est maxima cautio, ne hac figura nimium delectari uideatur Ecclesiasticus orator. Exclamatione usus est Nazianz. in Apologetico, cum dixit: Ad peccatum, huiusq. medicos; et depulsores, frontem aperte perfricamus, nudo capite, ut est in prouerbio, in flagitium omne prorumpentes; o insignem stuporem, aut si quo alio nomine aptiore, huiusmodi affectus appellari potest; quosq. ut præclare de nobis meritos, amore prosequi decebat, eos ut hostes ulciscimur. Idem in laudibus Heronis: Tandem a uesano, et impio magistratu correptus, o nobilem calamitatem, o sacra tua uulnera, uirgis quidem, egregio tuo corpore laceraris, sed ita tamen, ut non tuo supplicio, sed alterius cuiusdam supplicijs, interesse uidereris. Exclamabit interdum Ecclesiasticus orator, O tempora, o mores, o prauas consuetudines, o peruersa hominum ingenia, o miserum sæculum, o calamitosam rempub. christianam. Adhibebit tamen modum in exclamationibus, illasq. post reprehensiones uitiorum, præsertim publicorum, collocabit; uerbi causa, si oppida, aut ciuitates cum episcopis suis contendant, si non pareant sanctæ matri Ecclesiæ. si aliquo publico peccato sint contaminatæ; sed suo loco adhibeantur. nam importunæ exclamationes, ut alio loco diximus, auctoritatem adimunt dicenti.

De Communicatione, Interrogatione, quæ premat, et de Ironia. CAP. XXXIX.

COMMVNICATIONIS exemplum est in actis Apost. ubi legimus, Sit ne magis hominibus obtemperādum, quam Deo, ipsi iudicate. Gregor. Nazianz. in oratione de moderatione seruanda in disputando: Vultis igitur, inquit, ipsi contentionis huiusce causam proferre, an mihi potius medici munere fungenti, eam exponendam, et emendandam relinquitis? Eleganter etiam Ecclesiasticus orator uti poterit figura communicationis, hoc modo: Laudandi sunt filij, qui parentes deserunt? laudandi patres, qui prouocant filios suos ad iracundiam? laudandæ uxores superbæ, quæ tyrannidem exercent in uiros? laudandi uiri, qui fugiunt uxores suas tanquam pestem? uos ipsi iudicate: hæc flens dico, hac dicendi moderatione utor, ne uos confundam. Hac figura interdum maxime commouentur auditores, ita ut eos pudeat peccatorum suorum, et ad pœnitentiam conuertantur. Interrogatio quæ premat, et urgeat, est apud Basilium in oratione de diuitibus: An non te tres omnino cubiti manent? nonne ad custodiam infœlicis corporis, lapidis exigui pondus satis erit? quamobrem laboras? quamobrem leges, et iura uiolas? Ita orator poterit commode interrogare: Num christiani dicuntur, qui iniurias remittere indignum putant? num qui uiuunt, sunt primitiuæ ecclesiæ christianis similes? num imitamini uos atauorum, et proauorum uestrorum religionem, frugalitatem, et moderationem? si nobilitatis, si bonorum externorum heredes fuistis, estote etiam religionis, et liberalitatis christianæ. Quæ figura ut affert gratiam orationi, si interdum adhibeatur, ita si sæpe usurpetur, fastidium parit. Oratio qua aliud profertur, aliud significatur, ironia a græcis appellatur, quæ præclara est apud Nazianz. de Iuliano, initio prioris orationis.

orationis: Atque hæc sapiens, inquit, noster imperator, et legislator; et in eadem oratione, eundem appellat uirum omnium prudentissimum, et optimum reipub. antistitem. Sic autem hanc adhibebit dicendi formam orator: Hi sunt fideles Christi, hic est populus Dei, hi auditores optimorum concionatorum. Quæ ironia, ut facile est animaduertere, ualde mouet. Hæc de uarijs dicendi formis, et ornamentis satis dicta sint. Consequens est, ut reliqua quæ ad decorum Ecclesiasticæ orationis pertinent, in medium afferamus.

Quod decorum orationis in hoc est situm, ut oratio sit affecta, et morata. CAP. XL.

DECORVM Ecclesiasticæ orationis in hoc est positum, ut oratio sit affecta, et morata. Affectum dicimus quasi sanguinem orationis; mores quasi animam. Erit autem affecta oratio, si Ecclesiasticus orator, inuehens in aliquod uitium, aut in aliquam prauam consuetudinem, neminem unquam nominauerit, neque etiam indicauerit; sed dilectione, et amore Dei, se commotum ea dicere ostenderit, suis quamque rem coloribus pinxerit: ut si zelo Dei commotus est; instantibus uerbis utatur, et uocibus, quibus utuntur irati. eis autem maxime conueniunt ficta nomina, ut Dormitantium appellat B. Hieronymus hæreticum Vigilantium. Morata autem illa censenda est oratio in ecclesia Dei, quæ ad comprobationem utitur argumentis, et signis. Quare fit ut maximam apud omnes uim habere uideantur illorum patrum, qui Capucini dicuntur; hortationes ad paupertatem amandam, ad sobrietatem, ad contemptum mundi; cum oratione enim non discrepat uita. Quod si quis corpore firmo, uultu præseferens hilaritatem, mollibus indutus uestimentis, eadem tractet argumenta, multo difficilius persuadebit. Quamobrem ad moratam orationem, atque ad com-

parandam auctoritatem in dicendo, quam fiduciam loquendi, siue potestatem, siue spiritum, siue ostensionem spiritus licebit nominare, hæc necessaria uidentur: ut orator Ecclesiasticus, uita sanctimonia ostendat, se a Spiritu sancto edoctum, sanctis moribus ornatum, atque imprimis ad illud munus dicendi uocatum, et missum esse: quomodo enim cum fructu, prædicare possunt nisi mittantur? Ionam, Moysem, Esaiam, Hieremiam, Samuelem, antequam missi essent, ne uerbum quidem ausos fuisse proferre, legimus; Ioannem, antequam mitteretur, latuisse; Christum dominum fuisse a patre missum; sanctos Apostolos, antequam audissent illa uerba; Euntes docete, silentium seruasse, nemo ignorat. Quare ostendet se, aut munere suo, aut iussu episcopi, dicendi munus sumpsisse. Morata autem oratione utentes, illa figura utuntur sæpe per interrogationem; ut, Quis hoc ignorat, escam omnium malorum esse uoluptatē? hæreticos esse superbos? Deum paterno imperio regere hunc mundum? bonis nihil deesse? habet hæc magnam uim, ne insipientes, et stupidi esse uideantur, qui audiunt. Verum ad affectam orationem pertinet, interdum grandi, interdum temperato, interdum summisso genere orationis uti; quod fecisse sanctos patres, iam ostendimus, in quorum obseruatione, et imitatione, non minus quàm in præceptis rhetorum, decorum consistit.

Quod in libris sanctorum patrum clerici uersari debent, ut decora sit eorum oratio. CAP. XLI.

ITAQVE clericis legendus est studiose, et diligenter, adhibitis commentarijs doctorum hominum, et bonis magistris, B. Paulus, Ecclesiasticorum oratorum præstantissimus, qui raptus ad tertium cælum, cælestem loquendi formam didicit, quam in suis epistolis expressit: legendi sunt sancti doctores, cum græci, tum latini:

legenda

legenda sanctorum hominum, Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, Nisseni, Augustini, Ambrosii, Hyeronimi, Gregorij pontif. max. Leonis, Bernardi scripta, et ex his pulchriores sententiæ excerpendæ, et memoriæ mandandæ: in illis enim omnes loci continentur, quibus ad æternam salutem populus christianus instrui possit. legantur orationes Nazianzeni, in primis illæ duæ, altera de amore erga pauperes, elegantissima oratio, altera, quam habuit de plaga grandinis, in qua, Dei prouidentiam pulcherrimis, et ualde accommodatis ad docendum populum argumentis, comprobauit. B. Basilij illa: Attende tibi, et aliæ, contra Iram, Auaritiam, Superbiam, Luxuriam, de gratijs Deo agendis, præ manibus habeantur. nam mirabilem copiam ad dicendum suggerunt: Homiliæ S. Chrysostomi ad Antiochenum populum, sæpe uoluedæ sunt. afferunt enim copiam magnam: ac loci quidam ex commētarijs, præsertim in Euangelistas, in epistolas beati Pauli, atque etiam in psalmos colligendi. B. Augustini scripta, clerici caute admodum legant: ita enim acumine ingenij præstitit, et de rebus difficilibus tam subtiliter disputauit, ut non mediocri ingenio præditi uiri, eius libros legentes, in errores aliquando lapsi sint; sed eius libros pulcherrimos de doctrina christiana, et egregios, quos habuit sermones, dum episcopus ad populum concionaretur, sæpe, et diligenter legant. Ad imitationem S. Ambrosii quidam docti homines clericos hortandos esse non existimant, quamuis libros de officijs maxime probent, et memoriæ commendandos censeant; quod in illis sanctissimi hominis scriptis, perspicuitatem desiderent: mihi uero omnia S. Ambrosii scripta ualde probantur. B. Hieronymum, ut Nazianzeni discipulum, possumus agnoscere: ita copia sententiarum, uerborum splendore, et uarijs figuris eius illustrata est oratio. Verum fortasse ad imitationem nullius, maiore cum fructu, quisquam se conferet, quam ad B. Chrysostomi, et B.

Gregorij pontificis maximi, quorum libri ſententijs abundant, et ſunt morata oratione conſcripti. in ſermonibus S. Leonis magna ineſt grauitas, et dicendi maieſtas. in S. Bernardi libris ineſt admirabilis quædam ſuauitas, ita ut cum ſancta animi uoluptate ſemper legantur. Sed hi, et multi alij ſanctorum hominum libri, hac adhibita cautione legendi ſunt, ut quæ ex illis collecta fuerint, non proferantur; niſi quæſtionibus, aliquorum, qui in doctrina ſcholaſtica ſint uerſati, ex quibus S. Thomam Aquinatem, ſanctæ Eccleſiæ filium dilectum, et chariſſimum diſcipulum, deinde etiam doctorem egregium deligendum putauerim, examinata fuerint. Ex his autem quos nominaui, illum ſibi quiſque imitandum ſuſcipiat, cuius ſcriptis magis delectatur. Imitatione, et conſuetudine inſignium oratorum, nonnullos oratores euaſiſſe legimus apud ueteres. noſtra etiam ætate obſeruauimus, multos, imitatione eorum, qui in dicendo præſtiterunt, ad laudem perueniſſe; obſeruauimus etiam quoſdam imitatos eſſe uitia eorum, quos admirabantur, qui nec eorum copiam, nec uim dicendi, nec clamores, et ſecundas ſignificationes circunſtantis coronæ ſunt aſſecuti. Animaduertant igitur clerici, quos imitandos deligant; in ueterum libris uerſentur. caueant ne copia ſermonum, qui ſcripti ſunt, obruantur. cogitent, et ſcribant etiam ſæpe, quæ dicturi ſint: animaduertant ne ſemper recitent, ne uerborum aucupes, aut potius ſerui efficiantur; locos commendent memoriæ; eos deinde tractent. Suauitatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiæ, uim Demoſthenis, ſonitum Aeſchinis, copiam Platonis admirata eſt Græcia; et omnes magni oratores habiti ſunt. in Craſſo præclara dicendi copia, in Cæſare lenitas admirabilis, in Hortenſio eximius orationis ornatus, in Catone ſenatoria quædam maieſtas, et omnes in ſuo genere principes oratores: quorum laudes Cicero ſibi uiſus eſt adæquaſſe, aut etiam ſuperaſſe. ſed hac de re, hoc tempore non eſt ferēdum iudicium.

uim

uim Nazianzeni, Nysseni subtilitatem, Chrysostomi copiam, Basilij grauitatem imitandam sibi proponant clerici. e latinis in Tertulliano, antiquißimo scriptore, magna uis; in S. Cypriano lactea quædam dicendi ubertas; in beato Hieronymo mirabilis quidam sonitus; in S. Augustino, magnum acumen in refellendis falsis opinionibus, et in ueris sententijs comprobandis; in S. Leone grauitas; in S. Gregorio pontif. max. fructuosißima quædam sententiarum copia cum suauitate coniuncta; in S. Bernardo dulcis, et deuota oratio ex eorum sermonibus cognoscitur. Latini græcos sunt imitati, ingenium in primis unusquisq. sequens suum: eandem rationem secuti sunt, qui omnibus sæculis uixerunt. Fulgentij sermones, presso illo scribendi genere, quo Tertullianus est delectatus, esse scriptos: Innocentio placuisse illud S. Basilij temperatum dicendi genus, quidam non indocti homines obseruauerunt. B. Laurentium Iustinianum, qui primus urbis Venetæ fuit Patriarcha, imitatione S. Bernardi, plurimum nonnulli arbitrantur fuisse delectatum. Clericis, hoc tempore sacros libros, et sanctos Doctores legendos, imitandos, et sequendos proponimus. eos enim honore, et imitatione censemus dignißimos, sed in primis optamus, ut eorum mores, et uitæ sanctitatem sibi imitandam suscipiant; eorumq. exemplo non solum doctiores, sed multo etiam, meliores quotidie fieri studeant. His autem ita expositis, dicamus, quas leges sibi præscribere debeat Ecclesiasticus orator, ut in suis orationibus decorum seruet.

Quæ leges prescribendæ sint, ut decorum seruetur. CAP. XLII.

HANC sibi primum legem præscribat Ecclesiasticus orator, ut nihil unquam falsum doceat, nec etiam, si speret inde animas ad pœnitentiam se posse conuertere. non enim Deus eget nostris mendacijs: deinde ne auditoribus aduletur, quo nihil

potest esse turpius, nec in oratore christiano miserabilius. Quare uarietas titulorum, quibus quidam concionatores illabi inanimos auditorum student, appellantes populum nomine patriæ, et patriam uarijs epithetis ornantes, uitanda est; non ita tamen etiam ut non adhibenda sit. nam suo loco adhibita, ad commouendos animos non nihil ualet: nobilissimam ciuitatem, inclytam, nobilissimos auditores, magnificos, generosos quidam nominant, et sæpissime utuntur his nominibus: aptius, mea quidem sententia, appellarent fratres, et sorores in Christo, animas benedictas a Deo, animas christianas, populum Dei. Quo loco monemus clericos, si interdum laudant; laudent ut reprehendant, ut excitent ad gratias agendas, et ut corrigant; quemadmodum fecit B. Paulus scribens ad Corinth. his uerbis: Laudo uos, in hoc non laudo: ita nos dicere possumus; laudo uos hæreticorum esse inimicos acerrimos, laudo fidei christianæ sinceritatem, quam conseruatis; sed non laudo quod operibus fidem non confirmetis, quod tãto studio iniurias ulciscamini. Nunquam de prædestinatione loquatur, quin aliqua de libero hominis arbitrio attingat; nunquam de peruersis quorundam sacerdotum moribus, quin de sacerdotij auctoritate prius multa dixerit; nunquam matrimonium ita laudet, ut uirginitatem ei non anteponat. Hanc etiam sibi præscribat legem, ne seipse iactet, aut sua, quod nonnulli faciunt, qui res pulcherrimas, non antea auditas. se dicturos pollicentur; qui recitant se alijs in locis dixisse, et admirationem concitasse; et ut maximi uiri habeantur, aliorum catholicorum opiniones confutant. quare nihil aliud assequuntur, quam quod inuidiam, odiumq. hominum incurrunt. Caueat ne in sacerdotes, in ordinem episcoporum, in principes, multo minus in Pontificem maximum Christi Vicarium dicere audeat; nam hoc est seditiosi ingenij, et hominis auram popularem aucupantis; quo morbo laborauerunt hæretici, qui iurgijs, et conuitijs sacerdotes insectantes,

sectantes, incautas animas decipere studuerunt. sed hoc in primis diligenter caueat, ne sibi ipsi placeat, ne longitudine sermonis, superuacaneis uerbis tempus conterat. nam alimenta, quæ non abundant, auidius sumuntur.

Quid sit Homilia. CAP. XLIII.

LOCVS postulat ut dicamus quid sit Homilia: ea autem est colloquium: eo nomine appellati sunt sermones episcoporum ac sacerdotum ad populum; quia ut inter patrem, et filium, ita inter sacerdotem, et populum haberi debet sermo: et in illis sermonibus quædam simplicitas, et familiaritas a charitate profecta, debet apparere. quæ familiaritas cognoscitur, cum sic uidentur scriptæ homiliæ, ac si in magna quadam domo, paterfamilias ad familiam admonendam assurgeret; nec ij, a quibus habebantur, longa utebantur oratione; cum mos diuidendi sermones in duas aut tres partes, apud ueteres, quod sciamus, non fuerit receptus.

Quod in dicendo, adhibendum sit iudicium. CAP. XLIIII.

HAEC autem omnia, et multo plura quæ dici possent, facile assequetur orator, si iudicium, quod condimentum orationis, & actionum omnium humanarum est, in dicendo adhibuerit; & illa uerba S. Hieronymi, qui ecclesiæ fuit doctor grauissimus, in animo suo impresserit, atque ad se pertinere maximè existimauerit. Doctor ille grauissimus, concionatorem quendam laudans, hac utitur laudatione minime uulgari, sed egregia admodum: Nec ad instar, inquit, imperiti medici, uno collyrio omnes uultu curare, sed per singulas ecclesias, uulneribus medetur illatis. Quare iudicij regulas, quas uir sanctitate, et doctrina eximia insignis tradit, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, obseruet orator.

Diligenter

Diligenter inquirat mores, et præcipua uitia illius ciuitatis, oppidi, aut loci, ubi sermones habiturus est. ut enim inter homines reperiuntur alij, qui magis sint procliues ad libidinem, alij qui ad auaritiam, quidam qui ad uindictam; ita etiam quædam ciuitates ad ulciscendas iniurias magis, quam ad luxum, quædam potius ad luxum, quam ad homicidia patranda sunt procliues; et idcirco non idem ubique collyrium semper est adhibendũ; non sunt recitandæ conciones ex scripto, neque eædem ad uerbum, postero anno repetendæ: diuersitas temporum, si studium, et iudicium adhibeatur; noui aliquid subministrat. De oratione ecclesiastica, deque eius natura, et qua ratione orator ecclesiasticus poßit dicere; item, qua ratione seipsum disponere debeat ad dicendum, iam exposuimus ut potuimus. reliquum est ut de ordine, siue dispositione orationis dicamus.

Quo ordine disponendus sit sermo, siue concio. CAP. XLV.

ORDO est dispositio, et conuenientia partium, pulchritudo rerum omnium, ac ueluti anima, sine quo nihil pulchrum dici potest. pulcherrimus dicitur mundus, quia eius partes mirabili nexu cõiunctæ, pulchrum animal homo, quoniam mirabiliter eius partes dispositæ sunt: pulchra etiam ea dicitur oratio, pulcher sermo, qui, ueluti corpus, multis inter se aptæ cohærentibus partibus constat. quamobrem amandus est, et quærendus in omni uita, atque in omni actione, hic laudabilium omnium rerum pater, memoriæ magister, ordo, christiano præsertim oratori: qui nihil aliud sibi proponit, nisi ordinem charitatis in animis hominum imprimere. non multum enim prodesset ijs, qui in alijs omnibus ad orationem spectantibus, excellerent, si hac una dispositionis uirtute carerent. Illa distinctio, quam afferre soliti sunt quidam rhetores, partium orationis, in proemium, narrationem, probationem, confirmationem, confuta-

confutationem, amplificationem, epilogum, non est admittenda. cum narratio non semper sit necessaria, nisi in genere demonstratiuo; confirmatio, et confutatio, probationi subiecta sit, ac in ea contineatur; et cum is, qui comparatione utitur, aut amplificat, quodammodo uideatur probare. prӕterea exordium, et peroratio non sunt semper concionis partes necessariӕ, cum admonitionis, et intelligentiӕ causa adhibeantur, quod non semper necessario faciendum est, prӕsertim in re nota et facili. Duӕ igitur constituendӕ sunt ad minimum, orationis ecclesiasticӕ partes, propositio, siue, ut alio uerbo, idem exprimente, utar, propositum; et probatio, hoc est argumentum, siue comprobatio. Quoniam tamen interdum exorditur Ecclesiasticus orator, dicamus cuiusmodi uti possit exordijs; ita tamen ut statuamus, sӕpe non esse necessarium exordiri, cum res qua de agimus, sit nota, et aduersarius nullus sit; multo magis quia ad audiendum, paratos se esse auditores ostendunt. Nec semper epilogo est opus, cum, probationibus interdum auditores satis sint ad id, quod est propositum, incensi atque inflammati, et nulla sit necessaria repetitio: cum credibile sit in auditorum animis illas sententias esse impressas. de his tamen quatuor partibus agendum iudicamus; ac primum de exordio.

Quid sit exordium, et quibus de causis sit institutum; item qualia debent esse exordia. CAP. XLVI.

EXORDIVM *siue proœmium in soluta oratione, idem est, quod in poesi prӕfatio. cum autem interdum apud sӕculi oratores, ut apud Isocratem in laudibus Helenӕ, proœmium non cohӕreat illis, quӕ tractanda sunt; id christiano maxime cauendum est, cui de ostentatione ingenij, et doctrinӕ coram Deo, ratio erit reddenda. Exordia esse instituta, ut auditores dociles,*

attenti,

attenti, et beneuoli reddantur, omnes scripserunt. consequetur Ecclesiasticus orator, ut dociles auditores fiant, si ordine se dicturum, et argutas quaestiones omissurum, interdum pollicebitur. Attentos facile efficiet, si dixerit se de salute animarum, sermonem habiturum; et non quod homines, quorum proprium est labi, et decipi, docuerint, sed quod ipse Deus, aut Dei serui, diuino spiritu afflati, literis consignarunt, explicaturum. Beneuolos reddet, si neque inanis gloriae cupiditate, nec auaritiae, sed zelo Dei, et studio salutis auditorum, munus dicendi eum sumpsisse, auditores intelligent. Verecunda debent esse proœmia, grauia, et breuia; interdum ex abrupto exordiendum est. Sumuntur, ut in uniuersum dicam, exordiorum argumenta a re ipsa, a tempore, a loco, ab opinione populi, ab inopinato, a similitudine, a sententia scripturae, seu ab historia, a typo, siue a figura ueteris testamenti, ab eius persona, qui dicit, item ab auditorum. quorum omnium exempla, e patrum, et doctorum Ecclesiae scriptis, sumi possunt: nos praecipuas quasdam exordiorum formas proponemus.

De Verecundo Exordio. CAP. XLVII.

VERECUNDUM Exordium, quod maxime clericos decet, et modestia christiana conditum est apud S. Gregorium Nazianzenum in quadã oratione: Fratres, inquit, orationem nostram accipite, quamuis minimam, et a dignitate procul remotam; sed tamen D. Deus iusto iudicio misericordiam expendere solet. Huiusmodi exordium legimus etiam in oratione eiusdem, in plagam grandinis, quo uir ille admirabilis, rogat patrem qui aderat, ut ea doceat, quae ad consolandos homines pertinent. Simili exordio, praesente Episcopo, aut maioribus natu sacerdotibus, cum laude uti poterit Ecclesiasticus orator. Vt uerecunda autem sint exordia,

hæc

hæc requiruntur, ut de seipso nunquam, aut raro, et, si necessitas cogat, parcissime se laudans, loquatur. nam cum semper in proprio cuiusque ore, laus sordescat, in ore christiani oratoris, omnem adimit fidem: item ut in principio orationis, humilitatem præ se ferat. quamobrem dicet uocatum se a Deo, missum ad illud munus, non sponte tantam prouinciam suscepisse. In uituperatione sui ipsius inest plerunque affectata quædam humilitas, quæ omnino est fugienda: et quamuis S. Bernardus ita de seipso in exordio cuiusdam sermonis locutus sit, Vt autem a propheticis uerbis incipiam; uæh mihi, non quidem sicut prophetæ, quia tacui, sed quia locutus sum: heu quot uana, quot falsa, quot turpia per hoc spurcissimum os uomuisse me recolo, in quo reuoluere diuina uerba præsumo? uehementer timeo ne iam iam audiam ad me dictum, Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum in uanum? non tamen ego crebro huiusmodi exordijs utendum duxerim.

De graui, et breui exordio. CAP. XLVIII.

GRAVE debet esse proœmium, præclara aliqua sententia illustratum, proprijs uerbis, et minime otiosis exprimens id quod dicendum est ita, ut nihil aliud studere uideatur orator, nisi ut populus intelligat, qua de re sermonem sit habiturus; quale est illud apud Tertullianum, cum de habitu muliebri loqueretur, aut scriberet. Si tanta, inquit, in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cælis, nulla omnino uestrum, sorores dilectissimæ, ex quo Deum uiuum cognouisset, de sua, hoc est de fœminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam, gloriosiorem appetisset. Breuia sint Ecclesiastici oratoris exordia, quia cum de auditorum salute agatur, satis parati sunt ad audiendum; et cum nihil sit dilucida breuitate iucundius, efficiet ea breuitate, ut ab omni

uanitatis suspicione alienus iudicetur. quale est illud apud S. Chrysostomum de tremendo iudicij die: Vnusquisq. uestrum, fratres charissimi, suam ingressus conscientiam, et peccata sua reputans diligenter, a semet ipso pœnas exigat, ne aliquando cum orbe terrarum condemnetur. Longum tamen, et pulcherrimum exordium legimus S. Gregorij Nazianzeni in priore oratione, quam scripsit in Iulianum apostatam, in quo maxime attentionem sibi comparat: Audite hoc omnes gentes, auribus percipite, omnes qui habitatis terram. quod, quia ea oratio scripta potius quam habita iudicatur, laudabile est, præsertim cum eo spectet, ut auditores ad agendas Deo gratias hortetur, atque impellat. Aptissimum est illud S. Cypriani exordium, in sermone quem habuit de mortalitate, quam dominus ad purgandum, et corrigendum populum, cui ille præerat, ueluti instrumentum adhibuit. Beneuolos, attentos, et dociles facit auditores, eos modeste illis uerbis laudans. Et si apud plurimos uestrum, fratres dilectissimi, mens solida est, et firma fides, et anima deuota, quæ ad præsentis mortalitatis copiam non mouetur, sed tanquam petra fortis, et stabilis, turbidos impetus mundi, et uiolentos sæculi fluctus frangit potius ipsa, nec frangitur, nec probationibus conuincitur, sed probatur; tamen quia animaduerto in plebe quosdam, uel infirmitate animi, uel fidei paucitate, uel dulcedine sæcularis uitæ, uel sexus mollitie, uel, quod maius est, ueritatis errore, minus stare fortiter, nec pectoris sui diuinum atque inuictum robur exercere; dissimulanda res non fuit nec tacenda, quo minus, quantum mediocritas nostra potest, uigore pleno, et sermone de dominica lectione concepto, delicatæ mentis ignauia comprimatur; et qui homo Dei, et Christi esse non cœpit, Deo, et Christo dignus habeatur. Modesta illa laude beneuolentiam; distinctione auditorum, mortalitatem illam iniquo animo, diuersis ex causis ferentium, docilitatem; cum dissimulandam non esse illam rem dicit, attentionem sibi conciliat.

De

De Exordio ex abrupto. CAP. XLIX.

INTERDVM ex abrupto est exordiendum, ut fecit S. Ioannes Chrysostomus in sermone de decollatione S. Ioannis Baptistæ, hoc modo: Heu me quid agam? unde sermonis exordium sumã? quid dicam? non enim ego tantum in stupore mentis factus sum, sed, et omnes qui audierunt euangelij uocem, et mirantur mecum uel Ioannis constantiam, uel Herodis leuitatem, uel impiarum mulierum feruidam dementiam: quid enim audiuimus? Herodes, inquit, apprehensum Ioannem posuit in custodia; quamobrem? propter Herodiadem uxorem fratris sui.

De propositione, et quatenus oratori Ecclesiastico liceat digredi. CAP. L.

POST exordium, uel loco exordij, utatur Ecclesiasticus orator propositione, in qua hæc sunt necessaria: ut sit una, aut ad unum redigatur, ut sit catholica, ut sit popularis. nam cum nihil perspicuitati doctrinæ tam contrarium sit, quam rerum confusio, ita ut cum multa eodem tempore docere quis sibi proposuit, confundat potius auditorum animos, et ingenia obruat, quam doceat; prudenter sanctissimi, et doctissimi illi patres, qui catechismum conscripserunt, parochos monent, ut, quoties usu uenerit, ut aliquem interpretentur Euangelij, uel quemuis alium diuinæ scripturæ locum, intelligant eius loci, quicunq. is fuerit, sententiam referri posse aut ad aliquem articulum explicandum, aut ad aliquod sacramentum, aut ad præceptum, aut ad petendum aliquid a Deo, ex præscripto D. N. Iesu Christi. siue igitur proponat Euangelium, siue B. Pauli epistolam, siue psalmum, redigat totam concionem ad unum. Veluti, explicans euangelium in solennitate omnium sanctorum, proponat

sibi docere, quæ sit beatitudo hominis, et explicet primum quid non sit beatitudo, deinde quæ sit huius nostræ peregrinationis beatitudo, tum singulas, quas ibi Dominus noster enumerat, poterit explicare: B. Chrysostomus singulas suas homilias ad singulas propositiones sæpe redigit, de uitando iuramento, de humilitate, quod ars quæstuosissima sit eleemosyna, de fugiendo luxu, Deum laudandum fide formata, est enim dignus omni laude: ita etiam Nazianzenus in plagam grandinis, de pace, in sanctum baptisma, in pascha, de amore in pauperes. eandem rationem sequutus B. Basilius homilias suas ad propositiones redegit: Attende tibi, in auaros, in luxuriosos, de gratijs Deo agendis. quam rationem latini adhibuerunt, in primis S. Cyprianus scribens de bono patientiæ, de lapsis. S. Ambrosius de bono mortis. S. Bernardus de gradibus humilitatis, in sanctas solennitates; S. Zeno, de pudicitiæ laudibus, de auaritiæ detestando flagitio, pulchros scripsit sermones. Quatenus autem oratori Ecclesiastico liceat digredi, non facile est præscribere. uideat quid proposuerit, meminerit illud quod in primis eo die docere in animum sibi induxit. Ita digredietur, ut redeat semper, unde deflexit oratio. quanquam S. Chrysostomus in homilijs de uitando iuramento, et alijs etiam in locis, interdum ita digressus est, ut illud quod antea proposuerat, in aliud tempus reiecerit, quod, Spiritu sancto ita dictante, sanctissimum uirum fecisse, credendum est. Et quoniam quorundam morem non probamus, qui de instituendis pueris in doctrina christiana, aut de multis peruersis consuetudinibus remouendis, semel tantum, aut bis, aut ter in anno tractant, quasi eosdem auditores singulis diebus sint habituri, et unico sermone, ægris animis medicinam se afferre posse confidant; cum posit usu euenire, ut qui illa admonitione magis egebant, eo die absuerint; aut præsentibus, unius medicina sermonis perfectam nondum sanitatem attulerit;

præcepta

præcepta utilia, ut sancti patres fecerunt, sæpe iteranda, et crebro eadem de re, pro utilitate audientium, adhibendæ sunt hortationes, et reprehensiones, etsi locus euangelij, aut epistolæ, quam recitat ecclesia, postulare non uidetur. Itaque quamuis suo loco de magnis peccatis, in quæ plerunque homines incidunt, et quæ in capite de uitandis, uirtute comprehensa sunt, sermonem habebit orator, eosdem tamen locos, digrediendi causa, sæpe tractabit. Hi autem erunt loci ad digrediendum ualde accommodati: digrediatur orator contra peruersum morem spectaculorum, contra choros sathanæ, contra libidinum magistras, horum temporum insulsas comœdias; comparatione pulcherrima S. Chrysostomi utetur, eorum, qui a spectaculis redeunt, cum his qui e carceribus, siue e domo luctus recedunt. commode autem digredietur ijs diebus, quibus caro ita insultat, ut pleriq. homines insanire uideantur: Belli tempore, de iustissima ira Dei, de falsæ pacis incommodis: in caritate annonæ, quod propter publica peccata, res aduersæ eueniant, digredietur. in primis autem omni tempore, cum tot tamq. magna peccata, a lingua proficiscantur, digrediatur, membrum illud nobilissimum, quod diuinitus homini est datum, ut Deum oraret, eiusq. maiestatem debitis laudibus efferret, esse custodiendum; linguam esse, ut B. Iacobi uerbis utamur, inquietum malum, et uenenum mortiferum; esse ueluti ignem, qui inter omnia elementa maxime destruit; lingua destructas esse domos, ciuitates, et regna. Contra blasphemos digrediens, dicet eos esse monstra hominum, portenta ciuitatum, ciues inferni, quos ostendet, canibus, iudæis, hæreticis esse peiores; quandoquidem canes dominis suis parcunt, iudæi crucifixerunt quem non cognouerunt, hæretici ab ecclesia dissentiunt, quia impudenter, prauas suas opiniones, communis matris ecclesiæ, decretis, meliores existimant: blasphemi, cæli, et terræ domino non parcunt; Christum quem credunt

esse

esse Deum, quos nouerunt esse sanctos; quantum in ipsis est, lacerant; atque ut maiorem terrorem inferat orator Ecclesiasticus digrediens, recitabit, quam seuero iudicio Dominus blasphemos punire cōsueuerit, et commemorabit illa uerba Domini ad Moysem, quibus iussit ut blasphemi lapidarentur: Educ blasphemum extra castra, et ponent omnes quia audierunt manus super caput eius, et lapidabit eum populus uniuersus: et eo loco dicat, maximum scelus esse, ferre blasphemos, quantum in se est, e ciuitatibus, aut oppidis non expellere eam pestem; et per increpationem atque exclamationem dicet; tabernas, ubi aleis luditur, et nomen Dei blaspematur, esse templa sathanæ, quandoquidem in his sathanas regnat; honorem, et gloriam, quantum in ipsis est, infælices, et perditæ animæ, Deo adimunt. Poterit etiam sæpe per digressionem commemorare; maximum esse peccatum periurium, in quod sæpissime homines incidunt: periuros esse perturbatores humanæ societatis, iustitiæ corruptores, iurgiorum et inimicitiarum ministros, sacerdotes sathanæ. Necesse est etiam, calamitosis his temporibus, quibus ij qui habentur boni uiri, a detractionis uitio non sunt liberi, reprehendere maxime detractores: detractorem esse serpenti similem, insidiosum animal, quia silentio mordet, tortuose incedit, et terram comedit: hos esse detractoris mores; neminem ut uituperet, quem, detractionem suam resciturum dubitet. quo fit ut ueneno detractionis, potentius adhuc uenenum adulationis, et magis mortiferum, plerunq. misceat, et eidem, cui absenti detraxit, præsenti aduletur: serpentinam linguam detractioni assuetam merito appellabit, quippe quæ a laudatione interdum exordiens, aut charitatis specie detrahit imagini Dei, fratri suo, fratri Christi, ei fortasse, qui cælestis hæreditatis particeps est futurus: dicet detractores minime audiendos, ut monuit sapiens in prouerb. illis uerbis: Labia detrahentium sint procul a te, quod præceptum in Ec-

clesiast ico

clesiastico est etiam traditum, illis uerbis: Sepi aures tuas spinis, et noli audire hominem nequam: dicet detractoribus minime credendum; nihil, ut uerbis S. Hieronymi utamur, tam inquietare animum, et mentem leuem, et mobilem facere, quam totum quod dicitur, credere, et obtrectatorum uerba, temerario mentis assensu sequi; magnam quietem animi, magnamq. morum grauitatem esse, non temere de quoquam aliquid sinistri audire: falsos amicos adulatores, lactantes incautas animas, easq. decipientes, homines ex stultis insanos facientes, maledictos fuisse a Deo, illis uerbis. Vae qui dicitis bonum malum; et illa uerba prophetae poterit accommodare: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te seducunt; inculcet, lac esse cibum puerorum, non hominum; puerile esse, cantilena suarum laudum, et adulationibus delectari, aut potius decipi. Verum cum maledicorum plena sint omnia, ita ut nec subditi principibus, nec discipuli magistris, nec sacerdotes episcopis, nec filij parentibus, parentes etiam, quod ualde miserabile est, filijs desinant maledicere; digrediatur saepe, etiam si locus postulare id minime uidebitur: ponderet illa uerba Apostoli: Maledici regnum Dei non possidebunt: addat crudelis ac impij hominis esse, male agentibus maledicere, cum potius eorum miseria commoueri, et pro ipsis orare oporteret: nec diabolo esse maledicendum, quia est creatura Dei, quia natura est bonus, et uoluntate malus, multo minus fratribus, cohaeredibus eiusdem caelestis haereditatis; multo absurdius, et horribilius filijs, quibus incredibiliter nocent parentum maledictiones. moneat digrediens, abstinendum a conuitio, quia immoderati, ac impij animi est inditium, quia uarias calamitates parit, quia qui pergit dicere quae uult, ut sapiens dicebat, audit quae non uult. Et quia auctor mendacij sathanas, ut contra auctorem ueritatis, et lucis Christum, eiusq. imitatores, acrius pugnet, mendacium in animis populorum seminat; men-

daces esse filios diaboli declarabit, desertores milites Christi, infames homines, et humanæ societatis perturbatores; grauissimum mendacium illud esse, quo errores in religione disseminantur; grauia etiam illa, quibus iustitia contaminatur, et alicui damnum infertur: ab alijs etiam generibus mendacij docebit esse abstinendum, quia mentiri non licet, sine peccato, et qui mentiri assuescit, propriæ existimationis est inimicus. Contra periuros sæpe Ecclesiasticus orator digrediens, poterit dicere, cum falsis testibus multa iudicia corrumpantur; impium, et scelestum esse, adhibere falsitatis testem, auctorem omnis ueritatis Deum: et dicet, periuros grauius peccare, illis qui crucifixerunt Christum, quod Christum obnoxium culpæ, ea ratione uideantur existimare, et peierando, peius de Deo uideantur sentire, quam auctor mendacij sathanas. Acribus uerbis sæpe reprehendet seminatores discordiarum, peccatum esse grauissimum, ualde offendere, concordiæ, et pacis auctorem Deum, quod idem expreßit Dominus per Salomonem, illis uerbis: Sex sunt quæ odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes peßimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias. Studebit sedare omnes contentiones, et lites, imitatores demonum esse litigatores; sæpe etiam digrediendo dicet, ingenui animi esse, contentiones fugere, contendere esse ignominiosum; seruum domini non oportere litigare, sed mansuetum esse, multas miserias e litibus profectas; multas familias, paruis ab initio litigijs corruisse. digrediendum acriter est sæpe, contra iactantes seipsos, et sua, huiusmodi homines, stulte nimium, seipsos, et opera sua, idola sibi constituere, et de seipsis cantare, gallinæ similes esse, quæ ubi ouum emisit, clamat, donec significet factum ouum, quod ei statim

adimi-

admitur; ita eis qui se iactant, a sathana, bona quae fecerint, subripi. In huiusmodi digressionibus uersans Ecclesiasticus orator, populorum utilitati consulens, pluribus uerbis saepe poterit tractare magis communes locos, christianae religioni ualde accomodatos; uitam christianorum non initio, sed fine iudicari: Iudam unum e duodecim Apostolis, rectae uitae rationem coepisse, tragice, et miserrime ultimum uitae actum, laqueo, et desperatione conclusisse. diuersa ratione S. Paulum ecclesiae inimicum aliquot annos uixisse, deinde uas electionis euasisse, uiuentem caelos penetrasse, et martyrij gloria morientem coronatum fuisse? christiano neminem nocere posse, si ipse nolit: christianos solos diuites, solos sapiētes, solos reges, solos aeternae beatitudinis haeredes constitutos: hanc esse ueram philosophiam dicet, hanc perfectam sapientiam, fugere omnia, uel minima etiam, peccata, prodesse omnibus; hanc uitam esse exilium; solam, ut S. Hieronymus scripsit, esse apud Deum libertatem, non seruire peccatis; summam apud eundem Deum esse nobilitatem, clarum esse uirtutibus: exilium huius uitae, aequo animo esse ferendum, donec nos euocauerit Dominus; calamitates exulum considerandas, de caelesti patria cogitandum; eleemosynas praemittendas multorum generum; largiendum pauperibus, quantum facultas fert; remittendas iniurias; docendos, consolandos, qui doctrina, et consolatione egent, subueniendum, ut uno uerbo dicam, aliorum calamitatibus. Ad quas, et multas alias digressiones faciendas, magnam oratori Ecclesiastico copiam suppeditabunt libri de uirtutibus, et uitijs, quos sancti theologi nobis reliquerunt, sed in primis praeclarus ille, quem hac de re scripsit Gulielmus Peraldus episcopus Lugdunensis. Monemus nos clericos, ut de his quae diximus, et de alijs, nunquam, nisi pijs precibus, consulto sancto Spiritu, ita digrediantur, ut unde digressi sint, non reuertantur.

De catholica, et populari propositione. CAP. LI.

CATHOLICA propositio est sanctæ matris ecclesiæ, quæ est magistra, et interpres omnis ueritatis, enunciatio; eaq. uetustate, et consensu patrum dignoscitur. quoniam uero non omnis catholica propositio, ad intelligentiam populi potest accommodari, ut quæ de angelis subtiliter, et uere disputantur, aut de reuelationibus, quæ in Apocalypsi traditæ sunt; necesse est ut sit etiam popularis: popularem autem intelligo, non quæ facile auditoribus probetur, sed quæ populorum infirmitati aut moribus sit accommodata; quod preclare etiam, ut docet S. Gregorius pontifex in euangelio, mystica descriptione ostenditur, cum dicitur: Ascendit Iesus in nauiculam Petri, et rogauit, ut reduceret pusillum, et ita sedens prædicabat turbis; non enim in terra, aut ab ea longe distans prædicabat; ut ea ratione doceret neque terrena, neque cælestia, sed ea tantum, quæ ad populorum salutem pertinent, et ad eorum captum accommodata sunt, in medium esse afferenda. Quamobrem huiusmodi propositiones tractandæ sunt, quibus religio conseruetur, crescat fides, spes excitetur, charitas nutriatur, leges custodiantur, domus, ciuitates, regna pace fruātur, ut sunt illæ: Nemini iniurias inferendas; melius affici, quam afficere iniuria; nihil christiano esse fælicius, si seipse norit, et conuenienter nomini christiano uiuat; Deum paterno imperio administrare hunc mundum: et huiusmodi. sed maxime caueat, ne unquam ea proponat, quæ seditionem poßint mouere; diuitum auaritiam reprehendens, pauperes reprehendat etiam, qui diuitibus solent inuidere, et occasionem nobilium uirtutum comparandarum non agnoscunt. est enim paupertas sobrietatis mater, nutrix temperantiæ, et omnium uirtutum custos, si ea recte uti nouerint homines. Proponit sancta mater ecclesia euangelia, proponit epistolas;

sibi

ſibi quiſq. eorum alterum, aut aliquem pſalmum, aut partem catechiſmi poteſt ſumere interpretandam. Laudamus nos eos, qui ſanctæ matris eccleſiæ præſcriptum ſequentes, euangelia ſibi explicanda proponunt, et cum eis epiſtolæ interpretationem, coniungunt. Verum ut in hac etiam interpretationis parte, clericorum ſtudijs conſulamus; de arte, ſiue ratione, explicandi ſacras literas, hoc loco breuiter agendum uidetur.

De ratione explicandarum ſacrarum literarum; quatenus oratori Eccleſiaſtico ſit neceſſe. CAP. LII.

PORRO *cum finitimus admodum ſit Eccleſiaſtico oratori ſacrarum literarum interpres, et ſæpe interpretis munere in eccleſia fungi ſit neceſſe; de arte interpretandi euangelia, et uniuerſam ſacram ſcripturam, iam dicendum uidetur. Hac de re, quæ ſane in eccleſia Dei, eſt maximi momenti, præcepta tradiderunt ſancti Hieronymus: et Auguſtinus: proximis annis, copioſe ſcripſit uir admodum doctus, qui de formandis concionibus librum utilem conſcripſit; nuper uero auctor bibliothecæ ſanctæ uir eruditus F. Sixtus Senenſis, ordinis prædicatorum idem argumentum tractauit; nos breuiter, ac perſpicue colligemus quæ clericis utilia fore iudicamus. hoc in primis explicationi ſacrarum literarum neceſſarium eſt, ut uarios ſenſus, uaria expoſitionum genera interpres teneat; deinde ex illis interdum unum, interdum plura adhibeat. ſunt autem quatuor ſenſus, ſiue expoſitiones, quas deſcribimus, ut facilius intelligantur, et in clericorum animis imprimantur: Hiſtoricus ſenſus, ſiue literalis; tropologicus, ſiue moralis; allegoricus, et anagogicus. Sic definimus ſenſum hiſtoricum, rei geſtæ narrationem, ac uerborum ſeriem, communi, et uiſitata uoce, ſiue propria, ſiue metaphorica, rem ipſam repræſentantem: propria uoce explicantur, animalia, leo, homo metaphorica,*

phorica, agni et leonis nomine Christus significatur. Tropologicam definimus, siue moralem expositionem, quæ ad uitæ emendationem, mysticos sensus accommodat: allegoricam, quæ rerum gestarum narrationem, umbram futurarum prætulisse demonstrat: anagogicam, qua, ad sacratiora cælestium figurarum præcepta, animus euehitur. Vno elemento aquæ, quatuor, quos enumerauimus, sensus, expressos declaremus. historico sensu, aqua elementum unum e quatuor significat; quo sensu interpretanda sunt illa uerba: Congregentur aquæ in locum unum: sensu morali, aquā tribulationes indicantur, ut expressit uir diuino numine afflatus, cum in psalmo dixit: Transiuimus per ignem, et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Allegorice, sanctissimum baptismi sacramentū, aquæ uocabulo significatur, quod admirabilis ille propheta ostendit, illis uerbis, quæ ueluti a Deo prolata essent, protulit: Effundam super uos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris. Anagogice; aqua æternam beatitudinem exprimit, ut fecit Hieremias propheta: Me derelinquerunt fontem aquæ uiuæ, et foderunt cisternas dissipatas. Et quia omnium magister, et dominus Iesus Christus, tria priora expositionum genera adhibuit; eius exemplis contenti, alia perquirere superuacaneum putamus. Quartæ expositionis, nimirum anagogicæ, a S. Paulo Apostolo exemplum petemus. exposuit D. N. legem Moysi, de dando repudio, historico sensu, cum dixit Iudæis: Moyses propter duritiam cordis uestri, permisit uobis, dimittere uxores uestras; a principio autem non fuit sic: dico autem uobis, quicunq. dimiserit uxorem, nisi fornicationis causa, et alteram duxerit, mœchatur; et qui dimissam duxerit, mœchatur. Tropologicum sensum adhibuit idem Saluator, cum historiam Niniuitarum, et aduentum reginæ Austri ad Salomonem narrans, ea ratione, perditissimos Iudæorum mores redarguit, atque eorum incredulitatem: Viri Niniuitæ

surgent

ſurgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt eam, quia in prædicatione Ionæ egerunt pænitentiam, et ecce pluſquam Ionas hic. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione hac, et condemnabit eam, quia uenit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. Allegoricæ expoſitionis exemplum dedit, cum Iudæos alloquens de Ioanne Baptiſta, dixit: Helias quidem uenturus eſt, et reſtituet omnia; dico autem uobis, quia Helias iam uenit; et non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eum quæcunque uoluerunt, ſignificans his uerbis, Heliam in ueteri teſtamento fuiſſe typum, et umbram uitæ Ioannis, qui ab exordio noui teſtamenti uenit in ſpiritu, et uirtute Heliæ. Anagogica expoſitione uſum B. Paulum in epiſtola ad Hæbreos poſſumus obſeruare, cum terram illam Palæſtinorum, patribus repromiſſam, accommodat ad promiſſionem diuinæ gloriæ; terram illam tantopere a patriarchis deſideratam, et tot peregrinationibus quæſitam, non eſſe præſentem, uiſibilem, terrenam illam regionem Chananeorum, ſed futuram, inuiſibilem, atque cæleſtem patriam, meliora habentem fundamenta, cuius Deus eſt artifex, et ciuitatem Dei uiuentis, Hieruſalem cæleſtem, multis angelorum millibus ornatam.

Qua ratione, ſacrarum literarum ſenſus ſint adhibendi. CAP. LIII.

CAVEANT clerici, ne litteræ perpetuo aſſideant, et ſolis ſyllabis ac dictionibus incumbant. nam qui hoc faciunt, frigidi, ſine ſpiritu, exangues, aut potius exanimes interpretes ſacrarum literarum, ſe oſtendunt; ſed multo magis caueant, quod adoleſcentes, ingenij quodam impetu, facere conſueuerunt, ne ſententias ſalutares, et præclara documenta, quæ in litera continentur, ommittentes, allegorias ipſi potius in medium proferant, et cogitationes ſuas interdum uenditent. quod quidem facillimum putauerunt

ſancti

sancti Hieronymus, et Augustinus. ita enim Hieronymus in præfatione in Abdiam; Cum essem paruulus, inquit, ut paruulus loquebar, ut paruulus sapiebam, ut paruulus cogitabam; postquam factus sum uir, quæ paruuli erant, deposui; cumque laudari, quæ ipse scripserat per allegoriam in ipsum prophetam audiret; scripsit hæc uerba: Ille prædicabat, ego erubescebam: et S. Augustinus fatetur se, cum prius per allegoriam facili labore scripsisset in Genesim, paulo post in eodem libro, literalem expositionem tentasse. Historicum igitur expositionis genus admodum necessarium in primis Ecclesiasticus orator aggrediatur, quia si negligatur, periculum est, ne incidat in uarios errores; et, quemadmodum B. scribit Augustinus, quis nisi impudentissime nitatur aliquid in Allegoria positum interpretari, nisi habeat manifestissima testimonia, quorum lumine manifestentur obscura? Quamobrem historica expositio ueluti basis omnium interpretationum, substernenda est; pure, aperte, et apposite, exponendæ sunt propositæ scripturæ, siue euangelia, siue beati Pauli epistolæ, et dilucida breuitate sunt exponendæ: et cauendum est clericis, ne ignoratione historici sensus literam detorqueant durius: ac ea relicta, ad remotas aliquas allegorias confugiant; sed, ut Chrysostomus fecit, allegoricis, et anagogicis inuolucris ita abstineant, ut paucis admodum in locis, cum necessitas flagitat, eis utantur; breuiter, si fieri potest, res maximas soluant, ut fecit S Chrysostomus, cum locum illum admodum difficilem explicaret: Non est uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis. uir admirabilis, unico uerbo tantum, maximam, et difficilem quæstionem soluit, et sic est interpretatus: non est uolentis, neque currentis tantum, sed Dei miserentis, idque fecit ut infirmitatem humanam patefaceret, et Dei misericordiam, ut par est, declararet. Sin autem accidat, ut in aliquam quæstionem minime dissimulandam Ecclesiasticus orator incidat, non prius est

aggredien-

aggredienda, quam ostenderit, se studiose illam diffundendi occasionem non inuenisse, nec inuentam sumpsisse, sed coactum perfidia hæreticorum, aut alia aliqua de causa, illam tractare. Ea uero quæ historico sensu orator Ecclesiastico declarauerit, interdum ad mores reformandos accommodabit. Verbi causa in historia Loth dicere poterit, quam detestanda sit ebrietas, cum in omnibus ætatibus, tum maxime in senectute, et quod uix unquam illud uitium reperiatur, quin multa alia habeat sibi coniuncta. Item ex historia Petri, qui fleuit amare, perspici potest, quam gratæ sint ac salutares pœnitentium lachrymæ, quas S. Bernardus delitias angelorum nominauit, et alius sanctus uir dixit esse balneum, quo, animæ sordibus peccatorum abluuntur, et sponsæ Christi euadunt. In allegorijs explicandis, hoc est obseruandum, necessitatis, et utilitatis causa fuisse inuentas. necessitas tribus de causis oritur: cum nisi ad allegoriam confugiamus, uerba falsitatem uidentur præseferre: cum in sensu grammatico si uerba sumantur, pariunt absurditatem: tertio cum sensus grammaticus pugnare cum christiana doctrina uidetur. quamobrem quidquid in ueteri, et nouo testamento eiusmodi occurrerit, allegorice scriptum iudicabit. In expositione allegorica, diligentiam adhibebit; etiam si uerba, quæ scripta sunt, nullam aut minimam, in historico sensu sumpta, utilitatem uideantur afferre. quomodo enim ea, quæ in ueteri testamento scripta sunt de circuncisione, de sacrificandis pecudibus, de comedendo agno, in hac lucem euangelica, in qua, Dei benignitate uiuimus, Ecclesiasticus orator interpretabitur, nisi ad allegorias, illis adhibitis regulis, quas paulo ante dixi, confugiat? Abraham duas uxores, et duos filios habuisse, quo cum fructu poterit audientibus exponere, nisi ad Christum habentem duo testamenta, et duos populos, ut S. Apostolus interpretatus est, allegorice ea referat? Hortamur clericos, ne, quouis loco, allegorias in medium

proferre

proferre audeant; id enim est temerarium, nec solum temerarium, uerum etiam admodum inutile; et interdum etiam perniciosum. quam occasionem religionis nostræ accusandæ, et deridendæ, Porphyrius, christiani nominis acerrimus hostis, sumpsit. Quare ita texenda est allegoria, ut sententiam exprimat, alio in loco proprijs uerbis, idemq. significantibus expressam. Ac cum ad populum sermo habetur, allegoriæ ad locos communes, de Dei prouidentia, de amandis uirtutibus, de fugiendis uitijs, et ad huiusmodi populares propositiones, sunt accommodandæ, breuiter tamen, et acute, atque ad excitandos animos segnes, et tædio affectos, in sermone graui, et longo, sunt adhibendæ. Sed hæreant hæc semper in animo, ut uel propter necessitatem, uel propter utilitatem, et ad uitæ institutionem, et ad mores corrigendos, adhibeantur, non ad dogmata confirmanda, nisi postquam illa dogmata, antea fuerint comprobata.

De typo, siue figura ueteris testamenti. CAP. LIIII.

VALDE similis est allegoriæ typus, ita ut quidam alterum ab altero uix separare potuerint; est tamen aliqua differentia. nam typus siue figura est, cum aliquid ex ueteri testamento assumitur, quod significauerit, aut adumbrauerit aliquid gestum aut gerendum in Ecclesia: et fere omnes typi siue figuræ adumbrant aut Christum uenturum, eiusq. passionem, resurrectionem, et reliqua mysteria; aut Ecclesiam, uariosq. eius status, et mutationes, aut Euangelium, eius progressiones, et incrementa. Allegoria diuersum quiddam est, ut diximus, siue enim ex ueteri, siue ex nouo testamento sumatur, exprimit aliud diuersum ab eo, quod uocibus significatur, quod ad institutionem maxime pertinet. Animaduertat Ecclesiasticus orator ex eodem loco, diuersa ratione, posse sumi typum et allegoriam: uerbi causa, pugna illa Dauidis cum Golia, est typus

uictoriæ Christi, quam retalit de satana; sin autem referatur ad nos, dici potest allegoria, ut, quemadmodum Dauid pugnauit cum gigãte, ita pugnemus nos cum inimicis domesticis, satana, mundo, carne, a quibus acriier oppugnamur. Typi pulcherrimi sunt multi: typus Ioseph, qui fuit uenditus a fratribus, qui fuit figura Christi: typus Ionæ, qui tribus diebus fuit in uentre cæti, qui exprimit mortem et resurrectionem Christi; item typus serpentis ænei, et Sampsonis. in quorum tractatione Ecclesiasticus orator uersabitur. Ipse memini, egregium quendam concionatorem, cum Iosephi historiam narraret, et ostendere niteretur, illum fuisse typum Christi, lachrymas audientium excussisse. Poterunt clerici colligere, et commendare memoriæ illustriores typos, eosq. in suis sermonibus inserere: hortarer tamen, ut omnes eodem die non commemorarent: eam enim commemorationem, satietatem peperisse, uiri iudicio præstantes obseruarunt. In solennitatibus fortasse aptißime possunt accommodari. Sunt qui conciones suas exordiuntur ab aliquo typo, quem, ut monuimus, alio nomine possumus appellare figuram ueteris testamenti; quam consuetudinem quis ausit uituperare? Varietati consulendum ducimus, ut libentius auditores accedant; et cauendum ne in explicatione figurarum, tantum temporis consumatur, ut ad instituendam uitam, et ad corrigendos mores, debitæ cohortationes adhiberi non poßint.

De tribus alijs parum usitatis expositionum generibus, elementario, physico, atque prophetico. CAP. LV.

SVNT alia expositionum genera parum usitata, elementarium, physicum, atque propheticum. cauendum Ecclesiastico oratori esse existimo, ne in cætu hominum, longas disputationes de numeris, et elementorum significationibus instituat. res enim plena est obscuritatis, infructuosa, et a communi usu loquendi ab-

horrens. res etiam diuinas ac salutares ad ordinem cælorum, atque ad corpora naturalia, siue ad metalla referre, est hominis abutentis ingenio, et philosophiæ cognitione, et salutem animarum minime cogitantis. Prophetam uero profiteri, et munus, quod Dei proprium est, prædicendi ea quæ futura sunt, assumere, inutile, temerarium, atque etiam periculosum est oratori Ecclesiastico. Quid de Hieronymo Sauonarola, qui in hoc exponendi genere, auorum nostrorum memoria, uersatus est, pij, et docti uiri senserint, non est necesse scribere: hac in re, uirum illum alioqui doctum, minime esse imitatione dignum ausim affirmare.

De uarijs historici sensus partibus. CAP. LVI.

DEFINIVIMVS quatuor sensus sacrarum literarum; de uarijs literalis expositionis partibus dicamus. Ratio quæ historicam intelligentiam docet, multas partes complectitur; quarum prima uiam aperit, ad inuestigandos tropos, phrases, proprietates, locutiones, figuras, et huiusmodi, quibus diuinæ literæ maxime abundant. qua in re cupimus clericos ab adolescentia diligentiam ponere. alia docet particulares descriptiones, ac tabulas, prouinciarum, regnorum, marium, montium, fluuiorum, syluarum, urbium, oppidorum, aliorumq. loocorum, de quibus in sacris literis fit mentio. qua in re caueat Ecclesiasticus orator ne nimius sit, et ne plerumque sine ullo fructu ostentet memoriam. Non ignobilis etiam pars historicæ expositionis est ea, quæ ad tollenda quædam obscura, orta ex uaria dierum, mensium, annorum ratione, explicat omnes series, successiones, et dinumerationes temporum, sæculorum, annorum, olympiadum, hebdomadarum, ætatum, et generationum, quæ in diuina scriptura continentur. in quo, modus est adhibendus, ne res indubitatas in dubium reuocare uideantur; continet etiam

cognitio-

cognitionem historiarum, proprietatum, ac uirium præcipuarum, omnium rerum naturalium, hoc est cælorum, elementorum, animalium, ac plantarum; quæ passim in sacris literis describuntur, quæ omnia scitu sunt pulcherrima, et iucunditatem audientibus pariunt, si iudicium adhibeatur. tradit etiam quasdam regulas, quæ uiam aperiunt ad intelligendas considerationes quasdam geometricas, astronomicas, arithmeticas, et musicas; a qua interpretandi ratione, monemus clericos ut abstineant, ne obscuritate animos audientium sibi alienent. Altera inuentionis pars ostendit spirituales ac subliniores diuinæ scripturæ sensus, allegoricum, anagogicum, et tropologicum; adhibitis ad hoc nonnullis regulis, de quibus, superius satis dictum est. Vt summatim dicam, hoc tantum a clericis mandetur memoriæ, et obseruetur, ut primum iaciatur doctrinæ fundamentum, ut quid sibi uelint uerba sacræ scripturæ, explicetur, deinde ad mores, animi auditorum excitentur: quod B. Paulum in omnibus suis epistolis; et sanctos patres, B. imprimis Chrysostomum, et S. Leonem pontificem fecisse, licet obseruare. alia genera, nisi necessitatis, aut magnæ utilitatis causa non adhibeantur.

De diuisione, quæ ueluti instrumentum propositioni seruit. CAP. LVII.

PROPOSITIONI seruit diuisio, cuius sunt diuersæ species; distinctio uocis, diuisio generis eiusdem per oppositas differentias; ut, cum dicimus, christianorum, quosdam esse catholicos, quosdam non catholicos. alia est diuisio, quæ magis proprie dici potest enumeratio: ut est illa apud Salomonem in principio Ecclesiastæ. His utitur orator ad disponendam orationem; sed cauendum est, ne ita instrumento diuidendi delectetur orator, ut confusionem pariat potius, quam ut memoriæ consulat. concionem

suam in partes, non in frusta diuidat; non imitetur malos coquos, qui discerpunt potius, quam diuidunt carnes. tria, aut quatuor ad summum capita proponat. Euangelium quod propositum est, aut B. Pauli epistolam, aut introitus, aut quidquid ei suggesserit Spiritus sanctus, diuidat in tres partes: uerbi gratia, Beati qui timent dominum; dicat quid sit beatitudo, quid timor domini, quod decipiuntur homines non quærentes hanc beatitudinem in euangelio. Siquis diligit me, sermonem meum seruabit; diuidat sermonem in tres partes, et dicat; quod dilectio Dei est perfectio hominis christiani, quid sit dilectio Dei, miseros esse qui non diligunt Deum, cuius rei est indicium, quod non seruant sermones eius. Propositionem quidam in tres partes diuidendam arbitrantur, eo quod ter conquiescant ac respirent, et quasi noua proponentes populis, loqui incipiant. quam consuetudinem quis uituperet? aut non probet potius, cum tot iam annos sit recepta, et eam adhibeant præstantes uiri, qui in nobilissimo concionandi munere, magna cum laude sunt uersati. si clerici morem ueterum sanctorum patrum, qui unico filio orationis, homilias suas texuerunt, sequetur, eos nemo poterit reprehendere. Certe homilijs, et sermonibus, qui habentur inter Missarum solennia, ueterum ratio uidetur magis accommodata. Respirandi consuetudo, concionatoribus, qui e superiori loco dicunt ad populum, facile est permittenda. audiat in hoc unusquisque quid sibi loquatur Spiritus sanctus. Obseruaui magnos uiros, uno filo uerborum, et connexione sententiarum, pulcherrimas, et admodum longas conciones ad populum habuisse. si accidat, quod fortasse, ita disponente Domino, accidere poterit, ut e clericis ad quos scribimus, aliqui creentur episcopi, eos hortarer, ne famam concionatoris aucupari uiderentur, et paternam illam dicendi formam, quam expresserunt sancti patres, retinerent; ita orationem texerent suam, ut continuato sermone, quidquid eo die esset pro-

positum

positum, grauiter, proprio fungentes officio, omissis multis concitationibus, ad populum dicerent; ad erudiendas animas suæ fidei commissas, bonos concionatores deligerent, ipsi etiam docerent, sed in primis in tradendis salutaribus præceptis ad uitam æternam pertinentibus, in corrigendis peruersis moribus, in excitandis animis ad pietatem, et ad remittendas iniurias, atque ad frequentem usum sacramentorum, paterna quadam charitate, et dilucida breuitate, uersarentur.

De Epilogo. CAP. LVIII.

EPILOGVS siue peroratio est terminus orationis, cuius quædam afferri possunt præcepta, ut cum aliqua commotione terminetur oratio. Quamobrem aut summa totius sermonis, aut præcipua capita repetenda sunt, ut in auditorum animis imprimantur, aliquid de æterna uita, de beatitudine, de æternis supplicijs dicendum. interdum adhibenda est deprecatio nomine populi; interdum cum lachrymis conuertendus est sermo ad Deum, quod tamen non sæpe, nec longa oratione faciendum est. nihil enim citius arescit lachryma, et multi dum commouere studuerunt, nihil aliud assecuti sunt, nisi quod risum mouerunt. In peroratione, paucis mutatis, accommodari possent his temporibus, illa uerba Nazianzeni, ut diuinam misericordiam interdum implorãtes, dicamus: Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, quoniam mandatorum tuorum memoriam abiecimus, et res peruersas cogitauimus; quoniam, ut Christi filij tui uocationi, et euangelio conueniebat, ut sanctis illis cruciatibus, et animi deiectioni, qua, nostra causa, seipsum exinaniuit, non respondimus; quoniam probro fuimus dilecto tuo; sacerdotes, et populus te deseruimus, simul inutiles facti sumus, non est qui iudicium, et iustitiam faciat, non est usq. ad unum; miserationes

tuas,

tuas, clementiam tuam, et uiscera misericordiæ Dei nostri, uitijs nostris, et consiliorum nostrorum nequitia, et peruersitate præclusimus. tu bonus, et nos inique egimus; tu terribilis es, et quis resistet tibi? terrore tuo, montes contremiscent, et magnitudini brachij tui quis resistet? si cælum clauseris, quis aperiet? et paulo post in eadem oratione addit idem summus auctor quædam uerba, epilogis ualde accommodata. Verum quiesce domine, remitte domine, propitius esto domine, ne nos propter iniquitates nostras perdas, nec supplicijs nostris alios erudias, cum liceat nobis aliorum populorum calamitatibus emendari, nimirum, gentium quæ te non nouerunt, et regnorum, quæ imperio tuo parere recusauerunt: at nos populus tuus domine, et uirga hæreditatis tuæ, castiga nos in mansuetudine, et non in ira tua, ne paucissimos nos facias, et contemptissimos omnium, qui habitant terram. Quo epilogo, hoc præsertim tempore, quo, crudelissimo bello, populus christianus affligitur, uti sæpe poterit Ecclesiasticus orator.

Pauca quædam de memoria, et de dignitate Ecclesiastici oratoris. CAP. LIX.


IAM uero memoriam admodum necessariam oratori Ecclesiastico dixerimus: et quamuis magnum illud donum naturæ, immo potius Deo acceptum referendum est; conseruatur tamen, et augetur exercitatione, ac meditatione; et incredibiliter ordine crescit. stylum esse optimum artificem dicendi cum nemo ignoret; utilissimum erit, si quæ dicturus est Ecclesiasticus orator ante conscribat: caueat tamen ne uerborum suorum se seruum constituat, et ne ex scripto recitans, interdum hæreat: quod etsi magnis etiam oratoribus nonnunquam legimus contigisse, est tamen ualde fugiendum, quia minueret oratoris Ecclesiastici dignitatem, quæ eatenus est

magni-

magni facienda, quatenus ſine ea uix poteſt animas Chriſto lucrari. multum etiam confert ad dicendum oratoris dignitas, quæ in uultus, uocis, habitus moderatione conſiſtit. Et quia iam de actione quædam attigimus, cum de ineptiis loqueremur, nihil de ea præterea dicemus. Monemus tantum, hoc loco, clericos, ut decentibus ueſtibus utantur, nimiam elegantiam, ſordes etiam fugiant. cum autem celebrabunt, et perſonam Chriſti agentes, ſacrificium offerent pro peccatis ſuis, et populorum; precioſioribus, et elegantioribus, quam poſſint, indumentis utantur: et, ut decet Apoſtolicos uiros, grauitatem in dicendo adhibeant; nec populo, multo minus ſibi, ſoli autem Deo, placere ſtudeant, qui Eccleſiaſticæ Rhetoricæ, et omnium laudabilium artium finis debet eſſe propoſitus.

LAVS DEO.

SYNOPSIS
RHETORICAE ECCLESIASTICAE
AB EODEM EPISCOPO
Contexta.



AMPLISSIMO CARDINALI

CAROLO BORRHOMAEO,

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI,

Augustinus Valerius Veronæ Episcopus. S. P. D.





Post multos uiros, iudicio, et uaria rerum cognitione præstantes, qui præcepta bene dicendi tradiderunt, uoluisti, Cardinalis amplissime, quædam præcepta colligi, aut accomodari potius ad usum clericorum, qui in ecclesia sancta Dei, ad populum aliquando sermonem habituri sunt; ut, et ne preceptorum copia obruerentur, et artem Rhetoricam discentes, meliores efficerentur; et ea à primis annis discerent, quæ cum fructu populos possent docere. Iam est edita Rhetorica ecclesiastica sub tuo nomine, opus certe non facile, et non minimi laboris, quod sane fælicius absolui potuisset. indicati sunt aliqui loci, qui fortasse tractabuntur fructuosius à uiris doctis, et in sacrarum litterarum studio uersatis, in quorum manus ille liber inciderit. Parui ego, et homines literato otio magis, quam ipse, abundãtes, excitaui ad facultatem Ecclesiæ Dei admodum utilem locupletandam, atque exornandam. Cum autem Mediolanum uenissem, ut me post multas Episcopalis muneris occupationes recrearem, et tuo exemplo tuisq. sermonibus (ut ab hinc iam trienium mihi contigit) ad animas mihi creditas pascendas, redirem instructior atq. ardentior; in quadam tabella etiam totam hanc, quam delineaui, et, ut potui, expressi artem Rhetoricam Ecclesiasticam inscriptam, ante oculos occupatorum hominum, qui totùm librum commode legere non possunt, esse ponendam iudicasti; ut breuissimo temporis spatio, in magnis etiam occupationibus ea percurri posset. Hæc ratio

diuidendi maxime Platoni placuit, qui in quodam dialogo, miris laudibus effert ea ingenia, quæ nobiliſſimo hoc docendi inſtrumento ſciunt vti: facile enim res ipſas diſtinguunt, omnem confuſionem adimunt, uel minimas rerum differentias percipiunt, facilius quidquid mente conceperint, in aliorum animis imprimunt, memoriæ, quæ eſt cuſtos omnium ſcientiarum atq. artium, hac ratione ita conſulunt, ut ſoli ſapere, ſoli alios docere poſſe uideantur. Coniuncta eſt etiam (ut optime noſti, quandoquidem huiuſmodi artium, et diſciplinarum diſtinctionibus maxime delectaris) præclariſſimæ huic methodo, mirabilis quædam uoluptas, ut animus res, quaſi uiua quadam pictura expreſſas, magis cernere quam diſcere uideatur, et ſimilitudinem Dei, ad quam effecti ſumus, hac ratione exprimentes, quatenus humana infirmitas patitur; vt vno intuitu ille omnia cognoſcit, ſic nos vno aſpectu, ſingulas artes, et ſcientias poſſimus animo perluſtrare. Eos qui recte diuidendi ratione utuntur, Deo quam ſimillimos dixit idem Plato, quia diſtinctionem illam mirabilem, in qua mundi pulchritudo conſiſtit, imitari maxime uidentur: quam laudem, et ſi uirum illum nimis amplificaſſe, eſt exiſtimandum, eam tamen clericis, atque etiam omnibus, qui in omni ſtudioru genere, preſertim in ſacris litteris uerſantur, quærendam eſſe non minimo ſtudio iudicarim. Accipe igitur, Cardinalis ampliſſime, Rhetoricæ Eccleſiaſticæ ſynopſim; et quando fortaſſe totum opus Rhetoricæ, ob maximas tuas occupationes legere non poteris, in hac, veluti in quadam tabella, delineamenta artis, et omnes articulos, quibus conſtat, acie mentis, qua præſtas, inſpice.

PLATO

PLATO duplicem Rhetoricam cognouit, Philosophicam, qua homines ad bonum Philosophis cognitum, hoc est ad morales uirtutes excitarentur; et adulatoriam, uilem, et abiectam, qua lenocinijs quibusdam populi allicerentur, et deciperentur. Nos uerò non adulatoriam, neque Philosophicam, sed Ecclesiasticam Rhetoricam tradidimus, quam nunc ueluti in Tabella ante oculos ponimus. Ea nihil continet, quod CHRISTI *sponsa, et ueritatis magistra Ecclesia non probet.*

Definiatur autem sic) Rhetorica Ecclesiastica est ars inueniendi, tractandi, et eloquendi omnia, quæ ad salutem animarum pertinent.

Hæc Ecclesiasticus Orator consequetur. (Docendo. Mouendo. Conciliando.

Qui docet considerare debet. (Quatuor causas q̃ sunt,

1. Efficiens. efficiens autem causa concionum, et bonarum rerum omnium est Spiritus sanctus. qui precibus inuocādus est. Proximæ causæ efficientes sunt labor, et exercitatio, et huiusmodi.
2. Forma. Vt aptè et congruenter dicatur ad populum. De eisdem rebus tractat Dialecticus, et Orator: diuersò tamen modo: ita Scholasticus, et Ecclesiasticus Orator.
3. Finis. qui est persuadendo lucrari animas CHRISTO. Differt autem finis ab officio, quòd Orator etsi propositum sibi finē non semper assequitur, non ideò tamen bonus Orator non est existimandus, dummodò aptè dicat ad persuadendum.
4. Materia, de qua agit Orator, duplex est.
   - Remota; quæ continet omnia, quæ scripta sunt; ita ut quicquid ex Philosophis, Poetis, Historicis, Oratoribus, ex omni scriptorum genere excerpi potest ad utilitatem Populi, id totum ecclesiastico Oratori, tanquàm suum, ab alijs usurpatum, subijciatur.
   - Proxima; quæ tribus dicendi generibus continetur; et de hac mox infra A.

(Et instrumenta: quibus utitur ad docendum. De quibus infra B.

A.
Materia tribus generibus compræhenditur.

- Deliberatiuo, quod ad quinque capita redigi potest.
  - 1. Credenda; quæ sunt.
    - Duodecim Articuli fidei.
    - Traditiones Apostolorum, et Apostolicorũ hominum.
    - Scriptura sacra.
    - Sancta concilia generalia.
    - Sancti Doctores, cum inter se omnes consentiunt.
    - Non est credendum Sathanæ, nec eius discipulis, hæreticis, nec cuiuis.
  - 2. Speranda fidelibus, a sãcta Ecclesia minime recedentibus.
    - Venia peccatorum.
    - Cœlestis Patria.
  - 3. Timenda.
    - Mors animæ quæ fit per peccatum.
    - Vltimum, et horribile Dei iudicium.
    - Infernus.
  - 4. Agenda de quibus infra E.
  - 5 Vitãda.
    - Peccatum.
      - Originale, quod à nobis in ipsa nostri conceptione contractum est; quod, et si uitari non potest, lugendum tamen est; atq. sanctissimo baptismatis sacramento tollendum.
      - Actuale.
        - Mortale. De quo infra F.
        - Veniale; quod facile veniam obtinet; quia inimicum Deo hominem non reddit. Vt mentis euagatio, risus immoderatus, et huiusmodi; quæ quotidiana dicuntur.
    - Occasio peccati.
      - Improborum hominum consuetudo.
      - Curiositas, impudentiæ soror, uanitatis mater.
      - Theatra.
      - Publica spectacula.
      - Frequentia conuiuia.
- Demonstratiuo. De quo infra C.
- Iudiciali. De hoc infra D.

F. Mor-

F.

Mortale peccatum, quod mortẽ affert animæ peccãti septem species habet, quæ sunt.

1. Superbia; quæ est inordinatus appetitus propriæ excellẽtiæ, uitiorum omniũ mater; in quam incidunt homines, cum
   - Bona, quæ habent, non accepta Deo referunt, eaq. iactant tamquã sua.
   - Bona, quæ non habent, sibi arrogant; quo in genere collocantur hypocritæ.
   - Minima bona, quæ illis diuinitus concessa sunt, ita augent, ut maxima cupiant existimari.
   - Mala, quibus ad humilitatem erudiri possent, excusant.

2. Auaritia; quæ est inordinatus appetitus habendi, qua peste, qui sunt infecti
   - Sumunt unde non oportet.
   - Produnt sæpe amicos.
   - Sũt fraudulenti, et fallaces.
   - Simonijs, periurijs, omni scelerum genere, modo ditiores fiant, seipsi contaminant.
   - Sunt etiam sordidi, qui ut diuitias cumulent.
     - Minima lucra consectantur.
     - Sordibus uestibus utuntur.
     - Sibi ipsis cibum adimunt, et res necessarias.

3. Luxuria; quæ est inordinatus appetitus impuræ, et libidinosæ voluptatis. Voluptates aũt aliæ sunt,
   - Honestæ, quæ uirtutes, ac recte facta secuntur.
   - Impuræ, qbus qui indulgent.
     - Lumen mentis amittunt.
     - Inconsiderati, Inconstantes, Præcipites, Amantes seipsos, Mortẽ, et futurũ Iudiciũ horrẽtes, Fiũt.
     - Plerunq. in peruersã Epicuri sententiã incidũt.

4. Inuidia; quæ est tristitia ex bono alterius, parit.
   - Discordiam.
   - Murmurationem.
   - Multorum malorũ genera.

5. Gula; qua homo inordinate appetit cibum, et potum. Quo loco aduertendũ est hoc uitium non in ciborum copia, sed in nimia eorum cupiditate consistere, eius comites sunt
   - Paupertas.
   - Infamia.
   - Ignominia.

6. Ira; quæ est inordinata cupiditas puniendi eos, à quibus se quis læsum arbitratur, hæc autem est.
   - Indicium stultitiæ.
   - Inimicitia consilij.
   - Mater pœnitentiæ.
   - Multarum perturbationum, et calamitatum adiutrix.

7. Accidia; quæ est remissi animi languor ab bene agẽdum, ac tristitia præsertim de re spirituali. Quo uitio qui laborant solent esse.
   - Malitiosi.
   - Pusillanimes.
   - Vani.
   - Inconstantes.
   - Obliuiosi.
   - Facile desperant.

Sunt

Sunt etiã uitanda peccata, quæ appellantur,

- In Spiritum sanctum, quæ ex malitia proficiscuntur. sic autem dicta sunt, quia post acceptam Spiritus sancti gratiam committuntur. ea autem sunt.
  - Præsumere de diuina misericordia.
  - Desperare de diuina bonitate.
  - Agnitam ueritatem impugnare.
  - Fraternæ charitati inuidere.
  - Obstinato animo in peccatis perseuerare.
  - Ob peccata gaudere.
- In coelum clamantia, quæ præ cæteris insignem improbitatẽ habent, maxime Deum ad iram prouocant, ea autem sunt.
  - Homicidium uoluntarium.
  - Peccatum contra naturam.
  - Pauperum, Viduarum, et Pupillorum oppressio.
  - Merces operariorum defraudata.
- Aliena. Ideo sic dicta, quia cum ab alijs fiant, nobis etiam nocent quod aliqua ratione illis communicemus. Id autem his modis potissimum contingit.
  1. Consilio, quando quis alicuius sceleris committendi est uel auctor, uel consultor, uel minister. Vt qui hortantur homines ad singulare certamen, ad ulciscendas iniurias, qui etiam excitant alios ad libidinem, ut lenones &c.
  2. Consensu. Quo in genere peccant innumeri, et eorum plurimi, qui bonitatis, et sanctimoniæ famam aucupantur, putantes, quia ipsi in peccata non incidunt, cum tamen alij consentiant, non peccare. Vnde illæ uoces. si peccat sua res agitur, nihil ad me, ipse uiderit. quæ non sufficiunt, nisi, quantum in se est, peccanti non aduersentur.
  3. Iussione. Vt Dauid cum iussit Vriam interfici.
  4. Irritatione; quando quis dictis, aut factis, aut quauis alia ratione sciens alium ad iraenndiam prouocat.
  5. Adulatione. Quod uitium latissime patet in rebus publicis, in opulentis Ciuitatibus, præsertim in aulis Principum, et utinam inter Sacerdotes etiam et Clericos non reperiretur.
  6. Reticentia. Quando quis reprehendere debet, et tacet; non obseruat enim illud. Clama ne cesses; annnncia populo meo scelera eorum.
  7. Conniuentia. Qua ratione peccant sæpe parentes, qui filiorum suorum uitia non castigant.
  8. Participatione; quando quis ad perpetranda quæuis peccata socium alicui se præbet. Ad quod pertinet illud. Si uidebas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.
  9. Defensione praui alicuius facti. Quo in genere solent ij maxime peccare, qui in foro aliorum causas iniustas, uel lucri, uel amicitiæ causa tuentur.

E. Agen-

E.
Agenda. Est autem agendum.

1. Quicquid lex præcipit. Est autē lex

Vel Diuina

Naturalis; quæ est recta regula, a qua res omnes agendæ regulam accipiunt.

Positiua.

1. Vetus idest Moysis; quæ est quidē Diuina, sed umbram continet ueritatis. Fuit data propter trāsgressionē, et demonstrat peccatum; cuius sacramenta significant, sed non continent gratiam.

2. Noua, hoc est Euangelica; quæ cōtinet ueritatem, et gratiam; quā sanctissimis Sacramentis confert, quæ ueluti pharmaca ad humanas infirmitates sanandas, et instrumenta Diuinæ gratiæ a Domino Nostro Iesu Christo instituta maxime sunt a uobis uenerāda. Ostendet pluribus Verbis Orator, quemadmodū homo nascitur, crescit, alitur, ualetudinē recuperat, postremo eius uires debilitatæ reficiuntur; ita animā Baptismo renasci, Chrismate crescere, sancta Eucharistia tamquā pane quotidiano ali, sacramēto pœnitentiæ sanari, extrema unctione recreari, ipsiq. faciliorem in cælestem patriam aditum patefieri; ad quæ remedia adhibenda necessarium esse sacramentum ordinis; ut ad fomitem carnalis concupiscentiæ debilitādum, et ad propagandum populum Dei, institutum est ab eodem Domino Iesu Christo sanctum Matrimonium. De his agens, hortabitur sæpe Auditores ad sanctissimæ Pœnitentiæ, et Eucharistiæ frequentem usum.

Colliget etiam ex sanctis Patribus, Theologis in primis Scholasticis, quæ scripserunt de Sacramentorum

- Numero,
- Differentijs,
- Effectibus.

2. Et consuetudines, legi Dei nō aduersantes, uolūt.

Vel Humana

- Canonica, cui parendum, quia cū Diuina consentit.
- Ciuilis, cui parendum, quatenus a Diuina non discrepat.

3. Et quicqd priuati, p sua quisq. uocatione, pstare debet.

Cum autem omnium præceptorum finis sit Amor, doceat ecclesiasticus orator amandū.

Primū Deū.

- Ex toto corde.
- Ex tota anima.
- Ex tota mente.

Deinde homines secūdum ordinem charitatis.

- Primum propriam animam.
- Tum animam aliorum.
- Tertio corpus proprium.
- Quarto proximorum corpus.
- Postremo bona externa, quæ ut dona Dei amanda sunt.

C. Demõstratiuũ genus est quod consistit in

1. Laudatione seruorũ Dei. omnis autem laus ducitur a uirtutibus, quarum precipue sũt.

1. Religio, quæ est cultus, quem Deo tribuimus, fide, spe, et charitate, est Christi imitatio, et recta Amoris regula.
2. Pietas, quæ est obsequium, quod exhibetur primum Deo, deinde illis, quos Deus nobis uenerandos proposuit, ut Sacerdotibus, Parentibus, Regibus, Principibus natu maioribus, præceptoribus.
3. Fides, quæ est habitus, quo firmiter assentimur reuelatis a Deo, porta salutis, Religionis fundamentum.
4. Spes quæ est certa expectatio futuræ Beatitudinis, iucunda uitæ spiritualis socia, et optima in rebus aduersis consiliaria.
5. Charitas quæ est uia Dei ad homines, et uia hominum ad Deum, causa, et mater omnium uirtutum, quæ si desit, frustra habentur cetera, si adsit, habentur omnia; ita ut qui ea nobilissima uirtute sit ornatus, in maxima paupertate sit diues, et omnibus commodis abundet; quia in Deo manet, et Deus in eo.
6. Oratio, fidei, et spei nutrix, et charitatis comes, quæ est eleuatio mẽtis in Deum, colloquium cum Deo, clauis, qua aperitur cælum, telum, quo Sathanæ insidijs resistimus, Deo acceptissima uirtus.
7. Deuotio, quæ est prompta uoluntas seruiendi Deo, gratissimum Deo sacrificium uoluntatis nostræ, religionis filia, bonarum omnium actionum altrix, in aduersis suauissima uitæ socia.
8. Prudentia, quæ est cognitio rerum uitandarum, et appetendarum, industriæ mater, salutarium illorum præceptorum magistra; Nosce te ipsum, Ne quid nimis, Auream dilige mediocritatem.
9. Iustitia, quæ est cõstans, et perpetua uoluntas tribuẽdi unicuiq. quod suũ est, Sanctis uenerationẽ, Sacerdotibus, et parentibus obedientiã, et obseruantiam, Regibus debitum honorẽ, omnibus mutuum amorem.
10. Eleemosyna, quæ est pars iustitiæ, Christiana liberalitas, queq. ut aqua ignẽ, ita extinguit peccatũ, et sine qua nemo potest placere Deo.
11. Fortitudo, firmitas animi contra molestias sæculi, aut alio modo cõsiderata, laborũ susceptio, et malorum perpessio, et habitus, quo præditus qui est, nil nisi turpia timet, tolerat fortiter aduersa, et prospera, est uoluntatis robur, uirtutum tutela, uitiorum expultrix, et periculorum sapiens expugnatrix.
12. Martyrium, quod est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, et uerus patientiæ magister.
13. Temperantia, quę est rationis in libidinem, atq. alios non rectos animi impetus firma, et moderata dominatio, et amor sese integrum, et incorruptum Deo seruans, a qua temperatus dicitur.
14. Ieiunium. optima custodia corporis, tuta habitatio, fortiũ uirorum monimentũ, egregius in bello fortitudinis, in pace quietis magister.
15. Pudicitia, flos morum, honor corporum, decor sensuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum castitatis.
16. Castitas, quæ est munimen sanctimoniæ, et sinceritatis indicium.
17. Virginitas, flos ecclesiastici germinis, decus, et ornamentũ gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, et honoris opus integrũ, et incorruptũ, Dei imago resplẽdẽs ad sanctimoniã Dñi, illustrior portio gregis Christi.
18. Perseuerantia, quæ est nobilissima Christianorum uirtus, summi regis filia, constantiæ nutrix, soror patientiæ, interioris pacis custos, sine qua in cælestem patriam nemo ingreditur.
19. Humilitas, quæ est elementũ omniũ uirtutũ, sine qua nemo in Christiana Philosophia potest proficere. Hæc est ars cognoscendi, et spernẽdi semetipsũ, et res humanas, inanẽ gloriã fugiendi, alios sibi præferendi, est fidelissima sapiẽtię socia, quã sequitur magnanimitas Christiana, quæ est posita in remittendis iniurijs, et in fugiẽdis honoribus.

2. Vituperatiõe malorũ. quoniam uero contrariorũ est eadẽ disciplina, in uituperatione ijdem loci, qui etiam in laudatione adhibentur.

2

Orator ecclesiasticus.

- Caueat, ne in turpem adulationis suspicionem incidat, ne ue dulce uenenum exhibens noceat.
- Raro uiuentes laudat. Dum enim uiuimus incertus est pugnæ exitus, ac domesticis, et acribus inimicis oppugnamur. quo fit, ut ignoretur laude ne, an uituperatione quis dignus sit.
- Laudat in funere, et laudes ducit a tempore
  - 1. Quod præcessit ortum illius, qui laudatur, in quo considerantur.
    - Patria.
    - Parentes.
    - Maiores.
    - Oracula.
  - 2. Quo uixit, in quo cõsiderantur,
    - Virtutes, Doctrina,
    - Munera, Publica, Priuata,
    - Res, gestæ, Amicitiæ,
    - Si quid supra spem, aut expectationem fecerit.
    - Si quid solus, aut cũ paucis, aut primus egerit.
    - Ea, quæ in ultimo actu uitæ egerit.
  - 3. Quod mortem est consecutum, in quo considerantur.
    - Honores post mortem tributi.
    - Dolor Ciuitatis.
    - Luctus.
    - Squallor.

In hoc Demonstratiuo genere maxime amplificationes adhibentur.

- Non ob eam causam, ut Isocrates pollicebatur, qui ad Oratorem dicebat pertinere maxima efficere minima dicendo;
- Sed ut res cognoscatur esse tanti momenti, quanti est re uera.

Amplificationes dicuntur cum argumenta ipsa tum Verbis, tum rebus ad Auditores magis afficiẽdos amplissime dilatantur; quæ ex eisdem locis, unde etiam laudationes ipsæ sumi possunt.

D. Iudiciale genus est, quod constat.

- 1. Accusatione. Raro accusant Clerici, quia humanam infirmitatem agnoscentes, et Dei misericordiam ante oculos habentes, correctionem morum, non seueram iustitiam propositam habent. Permittitur tamen in sacris Concilijs Sacerdotibus accusare, cum de honore Dei, et de populorum salute agitur. In iudicio autem hæc sunt obseruanda. ut
  - Qui accusat, zelo Dei accuset nulla utilitatis, aut inanis gloria cupiditate adductus. Ex quibus colligitur hæreticos Clericis maxime esse accusandos.
  - Is, apud quem accusatur, iudicij habeat auctoritatem.
- 2. Defensione, in qua frequentius Clerici uersantur, ut oppressos subleuent, innocentes defendant. Defendere autem debent.
  - Religionem Christianã.
  - Sedis Apostolicæ auctoritatem.
  - Honorem, et famã suam.
  - Eos, qui fidei suæ commissi sunt,
  - Innocentes.

  Deprecationibus utãtur interdum. Cum is, de cuius salute agitur,
  - Vel multa pietatis, et christianæ pietatis indicia dederit.
  - Vel semel peccauerit.

B. Instrumenta, quibus Orator utitur ad faciendam fidem sunt.

1. Exẽplum. Cum ex aliqua re particulari rẽ particularem probamus. Vt impietatem, Superbiæ, Auaritiæ, Libidinis, uitiorum, et calamitatum omnium altricem esse; Mahumetanæ impietatis exẽplo.

Debet autem exemplum esse: Verum, Graue, Illustre.

Sumi autẽ a

1. Christo, quem omnium uirtutum exemplar dicimus. Ait enim. Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita et uos faciatis.
2. Sanctis, Apostolis, Martyribus, Cõfessoribus, ceterisq. omnibus, et præsertim tempore, cum illorum Sanctorum, quorum exempla sumimus, solennitates celebrantur; atq. id maximam uim solet habere, si eorum, qui eisdem Ciuitatibus, ubi sermo habetur, præfuerunt, et quorum memoria gratissima colitur, in medium proferantur facta, aut sententiæ, ut Mediolani s. Ambrosij, Veronæ s. Zenonis.

Maioribus. Sic Iudith ciues suos grauissima obsidione circumuentos, atq. animo deiectos, exemplo ueterum Patrum, ad constantiã adhibendã, et fidem in Deo habendam, confirmat.

Nonnunquam, raro tamen ab Ethnicis, et alienis. Vt Saluator noster Reginam Saba, et Niniuitas adducit, et illud inculcat sæpe. Nonne Ethnici hoc faciunt?

Beluis, et rebus sensus expertibus. Habet magnam uim locus ille Isaiæ. Cognouit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, et populus non intellexit.

2. Enthymema, quod est Syllogismus imperfectus. Syllogismus enim tribus partibus cõstat, Propositione, Assumptione, et Complexione. Ex quibus si una prætermittatur; et in animo relinquatur, fit Enthymema. Vt si quis ꝓbet eleemosynã esse laudandam, quia est uirtus Christiana, omittit ꝓpositionem, quæ est, omnẽ uirtutẽ esse laudandam. Enthymema autẽ sumitur a

1. Signis.
- Certis; quæ appellantur etiam indicia. Vt signum certum infidelitatis est, ecclesiæ sacramenta contemnere.
- Incertis; Vt signa charitatis, libẽter singulos salutare, beneficijs multos afficere, et huiusmodi.

Ex his conficitur argumenta, quibus utitur Orator ad faciendam fidem, aut

- A locis ꝓprijs, qui a causa, de qua agitur, assumuntur; qui tribus generibus, de quibus iã dictum est, continentur.
- A locis extra causam assumptis, q artificiosi uocantur. De quibus infra G.
- Aut a locis cõmunibus, q sunt argumentorum sedes, et elementa. De his mox infra H.

2. Verisimilibus. Verisimile autem est, quod non simpliciter, nec absolute, fieri solet. Vt uerisimile est uirum bonum bonis et catholicis parentibus ortũ, hæreticos fugere.

Loci

1. Definitio, quæ est Oratio explicans quid res sit; hoc loco usus est B. Basilius cōtra auaros. Quis est, inquit, auarus? qui eo, quod sufficit, nō est cōtentus. Quis est prædator? qui quæ singulorū sunt, aufert. Tu autē non es auarus? non es prædator? qui, quæ singulorum sunt, tibi propria facis?
2. Distributio partium, quæ est rei per partes explicatio, siue totius in sua mēbra diuisio. Eleganter Hieremias Propheta ex hoc loco probat in solo Deo gloriandum. Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et nō glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, et nosse, quia ego sum Dominus.
3. Ethymologia, quæ uerborum originem inquirit, ut B. Hieronymus ad Nepotianum. Propterea, inquit, Clerici uocantur, uel quia de sorte sunt Domini, uel quia ipse Dominus sors idest pars Clericorum est. qui autem uel ipse Domini pars est. uel Dominum partem habet, talem se præbere debet, ut ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino.
4. Coniugata, quæ sunt ex uerbis generis eiusdem, idest quæ orta ab uno uarie commutantur. ut sanctitas, sancte, sanctus. Hoc pacto. Si Christiani sumus, Christiane uiuamus, Christum imitemur.

H.
Loci cōmunes sunt communes quędā notæ, quarū admonitu, quid quæq. res ualeat ad persuadendū potest inueniri. Hi autem præcipui sunt

5. Genus. Quod de pluribus differentibus specie dicitur. Vt omnis uirtus est laudanda, ergo iustitia. Huc pertinet locus ille Ioannis. Qui facit peccatum, et iniquitatem facit.
6. Species, q̄ est generi subiecta. Vt adulteriū, et homicidiū a Deo homines se parāt, q̄ est maxima putāda miseria, ergo peccata miseros homines efficiūt.
7. Similitudo, quæ est diuersarum rerum inter se collatarum, similis quædam affectio. Vt ægra corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis, teste Hippocrate; ita deteriores efficiuntur, qui impura conscientia sanctissimum Eucharistiæ sacramentum audent assumere.
8. Dissimilitudo; Vt hæreticorum est ab Ecclesia sancta recedere, noua dogmata confingere, Doctores scholasticos contemnere; nos catholici Ecclesiam sequi magistram, uetustatis castissimos limites non transire, sed scholasticos Doctores uenerari debemus.
9. Contraria; De quibus infra I.
10. Adiuncta; quæ cum re sunt coniuncta; ut, locus, tempus, uestitus et quæ Theologi circunstantias uocant. B. Basilius hunc locum adhibuit in Serm. de Ieiunio. Ieiunantis color grauitatis plenus est, non in impudentem ruborem efflorescens, sed pallore modesto ornatus, placidus et lenis oculus. sedatus incessus, uultus animi secum loquentis index, nulla intemperantis risus insolentia, moderatio linguæ, et cordis puritas.
11. Antecedentia, quæ consequentibus necessario cohærent; ut Christus resurrexit, et nos resurgemus. Est enim resurrectio nostra.
12. Consequentia quæ rem necessario consequuntur. Vt prudens est, ergo res dubias non affirmat. Insignis est locus apud Matthæum; Vbi Dominus a consequentibus probat, pauperes spiritu, hoc est humiles esse beatos, quia ipsorum est regnum cælorum, et sic de ceteris, quas ibi proponit huius peregrinationis, Beatitudinibus.
13. Repugnantia. quæ neque certa lege, neque ordine inter se differunt, quaratione a contrarijs, ac dissimilibus discernuntur, ut qui diligit Deum, non odit quemquam. Si fato omnia fierent. tolleretur liberū hominis arbitrium, laus, pœna, uirtus, uitium, gloria, inania essent nomina.
14. Causa. Quæ est illa, cuius ui sequitur effectus. De qua infra K.
15. Effecta. Quæ ex causis oriuntur; quorum, ut causarum, quattuor sunt genera, quæ causis cognitis facile intelliguntur. Hoc loco Saluator noster ostendit se esse bonum Pastorem; cum dicit. Ego sum Pastor bonus, bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.
16. Comparatio. De hac infra L.

I. Con-

I.
Contraria, quæ sunt eiusmodi, ut simul in eadem re in esse nequeant; quattuor habent species.

1. Aduersa. Vt Superbiam matrem omnium peccatorum scimus, Humilitatem igitur fundamentum omnium uirtutum amemus.
2. Priuantia, quæ sunt habitus, et eius priuatio; Vt uita, mors, lux, tenebræ. Argumenti a priuantibus talis est formula. Misericordes dixit Dominus misericordiam consecuturos; Qui igitur hac uirtute carebunt, nullam misericordiam consequentur.
3. Relatiua, a quibus sic argumentum ducitur. Optabile cum sit beneficium accipere, multo optabilius conferre.
4. Contradicentia; quæ sunt affirmatio, et negatio eiusdem rei de eodem subiecto; quorum alterum affirmat quid, alterum negat. Vt Christum diligit, qui eius præceptis paret, qui non paret, non diligit.

K.
Causarũ genera sunt quattuor.

1. Materia; ex qua res uel naturalis, uel artificiosa conficitur; ut materia hominis est corpus. Ex hoc loco argumentatur Propheta ad ostendendam Idolorum uanitatem. Simulachra, inquit, gentium argentum, et aurum.
2. Forma, propter quam res est. Vt anima est forma hominis. Ab hac sic ducitur argumentum. Anima præditi immortali, cur nostras omnes cogitationes, et spes in rebus caducis, et terrenis collocamus?
3. Efficiens, a qua aliquid est; ut homo a Deo, et ab alio homine. Hinc argumentum duxit Propheta, ad probandum Deum humana curare. Qui plantauit, inquit, aurem non audiet? et qui finxit oculum, non considerat?
4. Finis, cuius gratia aliquid est; ut homo factus est ad æternam Beatitudinem; stulti igitur, qui in uoluptate, in delitijs, in honoribus Beatitudinem collocant.

L.
Comparatio quæ est cum argumentum ducitur, aut a

Maiori ad minus. Vt illud B. Hieronymi ad Heliodorum. Filius hominis non habet ubi caput reclinet, et tu amplas porticus, et ingentia tectorum spacia metiris?
Minori ad maius. Vt illud; diebus Dominicis laici sumunt sacramentum Eucharistiæ, cur non Presbyteri, Diaconi, et Subdiaconi, aut etiam sæpius?
Pari, ut quemadmodum Pastores consulunt saluti sui gregis, Reges suorum populorum, medici morbo affectis corporibus; ita Pastores animarum, prodesse debent ijs, quibus præsunt.

1. Sacras literas, quarum magna est, (Auctoritas; quoniam quicquid in eis continetur id uerissimum est, et ueluti ex ore Dei prolatum.
(et Fecunditas: quoniam quæcunq. pulchra sunt cognitu, ac uitæ hominum utilia, in illis continentur.

2. Traditiones Christi, et Apostolorum, ut sanctissimi ritus, et cerimoniæ, quæ in sacramentis adhibentur, et huiusmodi; quæ quoniam scriptæ non sunt, sed de aure (ut aiunt) in aurem ad hoc usque tempus peruenerunt, uiuæ uocis oracula rectissime dici possunt. Quarum quanta sit auctoritas Cyprianus ostendit, cum dicit. Vt par est Spiritui sancto, et Christo auctoritas, ita in suis institutis æqua est auctoritas, et potestas. Nec minus est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit.

3. Auctoritatem Ecclesiæ, quam Christus sibi sponsam unicam delegit, cum eaq. omnibus diebus usque ad consummationem sæculi se affuturum promisit, ut admoneremur ei in omnibus esse parendum; et quicquid illa tamquam fidei dogma tenet, uerissimum esse, nec quicquam falsum, quod aut credit, aut docet esse credendum.

G. Loci in artificiosi ad hæc octo capita redigi possunt.

4. Auctoritatem Sedis Apostolicæ, quæ satis est firmum argumentum ad faciendam fidem; quia summus Pontifex est Christi Vicarius, ac legitimus successor Petri, eandem, quam Saluator noster tribuit Petro, non solum auctoritatem, sed etiam fidei firmitatem habens.

5. Auctoritatem Conciliorũ, quæ in Spiritu sancto congregatã fuerunt, quibus tanta fides est adhibenda, quanta Euangelistis; nimirum quia idem magister est Spiritus sanctus, et idem auctor Christus.

6. Auctoritatem sanctorum Patrum, qui ope Spiritus sancti ita ad ueram scripturæ sacræ intelligentiam penetrarunt, ut in ijs, quæ ad fidem pertinent, non modo nõ errauerint, sed mirabilis etiam omnium consensus extiterit.

7. Sententias Philosophorum, quorum magna est auctoritas, cum præsertim de remittendis iniurijs, de contemptu mundi, de minime formidanda morte agitur.

8. Historias grauissimorum hominum; qui si in eandem sententiam conueniunt, ex eorum auctoritate firmum argumentum, atque etiam fidei dogma promi potest. Verbi gatia B. Petrum Romæ et collocasse sedem, et pro Christo martyrij gloria coronatum esse omnes graues historiæ tradunt. Vnde certa argumentatione concludi potest, Romanum Pontificem Petro in Pontificatu succedere.

VT QVIS Auditorum animos commoueat, debet ipse cõmotus esse quod cõsequetur. (Si quod prædicabit, operibus implere studebit.
(Si non nisi zelo Dei, et studio salutis animarum dicendi munus suscipiet.
(Si præstantissima charitatis uirtute accensus fuerit.

Cum uero commotio sit quædam mentis incitatio, sine qua, ingrata et exanguis sit oratio, dabit operam Ecclesiasticus Orator, ut quemadmodum sanguis per totum corpus diffunditur, ita in omnibus orationis partibus quædam insint, quæ ad commouendos, et afficiendos animos auditorum ualeant; affectiones autem mediæ sunt inter uirtutes, et uitia; quoniam (Si in cælum ferantur, uirtutes pariunt; (Si in terra depressæ iaceant, pariunt uitia &c.

Omnium affectionũ fons est Amor.
- Rectus bonarũ.
- Peruersus malarum.

Auditores sunt excitandi.
- Omnes ad amorem Dei.
- Quidam boni viri ad amorem sui ipsius;
- Parentes ad amorem filiorum.
- Filij ad amorem parentum;
- Coniugati ad mutuum amorem.
- Omnes ad amorem patriæ.
- Omnes ad amorem uerum amicorum.
- Omnes ad amorem rerum externarum, quatenus nobis seruiunt ad gloriam Dei.

Recta Amoris Regula est Religio Christiana; quoniam
- Si ea, quæ amanda proponit, amentur a nobis, inde oritur omnis perfectio Christiana.
  - Sanctum gaudium.
  - Desideriũ uitæ æternæ.
  - Salutaris pœnitentia.
  - Timor Dei.
  - Resignatio in Deum.
  - Zelus honoris Dei.
  - Quas affectiones Ecclesiasticus Orator in auditorũ animis debet excitare argumentis ex ijs locis sumptis, qui in Ecclesiastica Rhetorica tractantur.
- Si ea, quæ amanda proponit, minus amentur a nobis, inde nascuntur.
  - Cupiditas.
  - Turpis uoluptas.
  - Desperatio.
  - Audacia.
  - Odium.
  - Indignatio,
  - Inuidia.
  - Quas affectiones studere debet Ecclesiasticus Orator ab auditorum animis amouere argumentis sumptis ex ijs locis, qui in Rhetorica Ecclesiastica tra duntur.

Quoniã uero ad cõmouendos animos multum confert cognoscere auditorũ genera, idcirco sciẽdũ, ut genera hominũ, sic auditorũ quattuor modis distigui posse, aut
- 1. Disciplina. De qua paulo post, M.
- 2. Electione. Infra N.
- 3. Occulto Dei iudicio. De hoc infra, O.
- 4. Natura, ut alij sint mares, et fœminæ, quel sunt
  - Cœlibes.
    - Viri, qui monendi sunt
      - Vt iunctos matrimonio non contemnant.
      - Suum periculũ cõsiderent. Videant ne cadant.
      - Otium unde uoluptas, et malũ omne existit, fugiant.
      - Orent sine intermissione.
      - Pijs operibus studeant.
      - Episcopos, et Parochos suos adiuuent.
    - Fœminæ quæ cohortãdæ sunt
      - Ad taciturnitatẽ. quia qui custodit os suum, custodit ab angustijs animam suam.
      - Ad humilitatem. quia Dominus respicit humilitatem ancillæ suæ.
      - Ad castitatem animi et corporis. quia mulier innupta et uirgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, et spiritu.
      - Ad modestiã, ne in laqueos mali Dœmonis incidant.
  - Cõiugio iũcti.
    - Viri, qui monendi sunt, ut
      - Accipiant uxores cum timore Dei.
      - Diligant uxores suas, ut Christus dilexit Ecclesiam
      - Instituant uxores suas.
      - Si aliquid scire cupiant uxores suæ, patiantur interrogari.
      - Increpent quãdo opus est, modeste tamen uxores suas.
      - Habitent cum uxoribus suis.
    - Fœminę.
      - Quibus ostendendum est uxorẽ debere uiro suo.
        - Fidelitatem, Amorẽ sanctum, Castum timorem, Sobrietatem, Obedientiam, Reuerentiam.
      - Quæ excitandæ, et in primis uiduæ ad
        - Pudicitiam, Deuotionẽ, Christianam liberalitatẽ, Infirmorũ curam, Opera pietatis, Fundendas ad Deum preces.

Mares autem

1. Parentes. Qui monēdi sunt, ut filios suos.
- Tueantur, et nutriant,
- A peccatis, quantum in se est, reprimant,
- In bonis operibus instituant,
- Corripiant, quando opus est, et puniant,
- Erudiant in ijs quæ ad Religionem Christianam pertinent.

2. Filij, qui excitandi sunt, ut
- Præcipuo amore parentes suos diligant,
- Obediant in omnibus, quæ ad administrationem familiæ, reiq. familiaris pertinent.
- Hortationes, obiurgationes, castigationes etiam, ut salutaria medicamenta, et maxima indicia amoris, suscipiant,
- Parentes suos omnibus honoribus prosequantur.
- Succurrant parentibus suis.
- Parentum uitam sustentent.
- Tristitia non afficiant parentes suos.

Mares autē, et fœminæ ita etiam distingui possunt, ut alij sint

3. Senes, qui monendi sunt, ut
- Caueant ne se ipsi fallant;
- Caueant ne temere indicent,
- Huius sæculi opes suspectas habeant,
- Timiditatem, quæ refrigescento calore, illis in est, conuertant ad humilitatem.
- Confidant in Domino.
- Prudentiam suam non tanti faciant,
- Si quid de se sentiant, aut loquantur homines, non admodum curent.
- Vereantur Deum, cuius oculis patent omnia.
- Misericordiam, opibus, si diuites sunt, consilio, auctoritate, doctrina exerceant.
- Vicinorum filios, filios suos putent, eos hortentur, et reprehendant;
- Vt honorum, et diuitiarum cupiditate se liberent.
- Detractores, et maledicos non ferant.

4. Iuuenes, qui admonēdi sunt, ut
- Sibi longam uitam minime polliceantur.
- Caueant ne uoluptatibus capiantur,
- Vereantur Deum, et viros bonos.
- Abstineant a carnalibus desiderijs,
- Ne facile credant.
- Ne iniuriam inferant.
- Modum adhibeant in omnibus.
- Adolescentiæ calorem, et impetum sanctis exercitationibus, et pijs operibus temperent.
- Alicui se disciplinæ tradant.
- Aliquem uirum bonum, cuius exemplo et consilio prudentiores, & meliores efficiantur, deligant.

5. Media ætate consistētes, qui adhortandi sunt, ut
- Quo magis in illis uiget ingenium, iudicium, et memoria, eo magis diuinis muneribus ad aliorum usum, et ad animarum salutem utantur.
- In ea, ad quam nati sunt, et cui a primis annis se dediderunt, arte, se exerceant, sine fuco, et ostentatione.
- Senum consuetudine prudentiam augeant.
- Vitę moderatione, et grauibus colloquijs iuniores erudiant.

- **M. Disciplina ita distinguuntur Auditores, ut alij sint**
  - 1. Magistri, et hi aut
    - Rerum diuinarum, ut Sacerdotes, qui bus ostendendum est in eis requiri
      - Bonitatem.
      - Sobrietatem,
      - Castitatem,
      - Bonos mores
      - Scientiam,
      - Studium litterarum.
    - Rerum humanarum, qui adhortandi sunt, ut
      - Facilius, ac breuius, quam fieri possit, quam artem profitentur, doceant.
      - Non doceant libentius diuites, quam pauperes.
      - Neminem excludant.
      - Rhetores ne incautos adolescentes erudiant ad decipiendum, et ad excitandas seditiones.
      - Philosophi, ne de mundi æternitate, de immortalitate animæ nimiū multa, et nimis subtiliter doceant.
      - Quod prohibuerunt sancta Concilia, nemo audeat ostentationis causa ad perniciem ingeniorum profiteri.
  - 2. Discipuli. Vt sunt
    - Auditores cōcionatorum, qui excitandi sunt, ut
      - Quæ audierunt memoriæ mandent.
      - Audiant cum fructu.
      - Non numerentur inter illos, de quibus scriptū est: semper discentes, nunquam ad scientiam peruenientes.
    - Viri Religiosi; quos sanctissimi viri Augustinus, Hieronymus, Franciscus, Dominicus, et Benedictus instituerunt.
    - Moniales discipulæ sāctorum Patrū, quæ excitandæ sunt
      - Ad metum; nisi quod uouerunt præstiterint,
      - Ad gaudium; commemoratione bonorum, quibus in monasterijs perfruuntur, et malorum, quibus carent.

- **N. Electione distinguntur Auditores; quia homines sibi deligunt.**
  - 1. Amicos quorū multæ sunt societates, ꝑ ut Spiritus sanctus excitat alios ad
    - Erudiendos pueros in doctrina Christiana.
    - Orationem.
    - Frequentanda sacramenta.
    - Propria corpora castiganda.
    - Consolandos eos, de quibus ultimum est sumendum supplicium.
    - Quæ societates excitandæ sunt ad
      - Perseuerantiam.
      - Ad hanc legem sāciendam
        - Vt se unusquisq. ferat.
        - Vt nihil dicat, nisi implorato Spiritus sancti auxilio.
  - 2. Disciplinam militarem; ad hos pertinet
    - Defendere Religionem Christi.
    - Pugnare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ.
    - Pugnare pro honore Dei.
    - Pugnare pro ouibus Christi, precioso sanguine redemptis.
    - His ostendendum, ignominiosum in militia esse, nihil aliud habere propositum, quam
      - Ditari.
      - Intemperātia se ipsum fœdare.
      - Vbi quis uictoriam reportauerit, a seipso, hoc est a cupiditatibus uinci,
  - 3. Aliquam artem, ut mercaturam; Ex quorum animis amouendæ sunt
    - Fraudes.
    - Mendacia.
    - Dissimulationes.

O. Distin-

O. Distinguitur etiam Auditores occulto Dei iudicio, quo fit, ut alij sint

- Principes qui sunt, aut
  - Reges; quibus proponātur Regiæ uirtutes, ut
    - Religio,
    - Iustitia.
    - Clemētia.
    - Fortitudo.
    - Tēperantia.
      - Ad comitatem.
      - Ad amandam uirtutem.
      - Ad malitiosas quasdam ineptias fugiēdas.
      - Ad anteponenda suis publica commoda.
  - Rerum publicarum administratores, qui excitādi sunt
    - Vt uehemēs illud studium quod adhibent ad parādas opes, ad hibeant ad
      - Sanctā religionē tuendā.
      - Sanciendas, et seruandas leges.
      - Iustitiam amandam.
      - Salutaria consilia proponenda.
- Subditi, q debent
  - Amare Regem, et Principem suum.
  - Principum consilia in meliorem partem interpretari.
  - Legibus obtemperare.
  - Cōsilio, opibus, quādo opus est, Principes adiuuare.
- Nobiles, qui excitandi sunt ad Humilitatem.
- Ignobiles, qui ad ueram nobilitatem, quæ in obseruatione Religionis, et in uirtutibus est collocata, sunt accendendi.
- Domini, siue Patresfamilias, qui excitandi sūnt. ut
  - Familiam suam informent, corripiant, et consolentur.
  - Familiæ suæ se uirtutū exemplar præbeant.
  - Cum seruis benignè se gerant.
  - Immoderatis laboribus seruos non aggrauent.
  - Res necessarias ad uictum, et uestitum seruis prouideant.
  - Seruis mercedem soluant.
  - Studeant, ut serui meliores efficiantur.
  - Indulgentia, nimia familiaritate, et communione secretorum, seruos ad libertatem non erudiant.
  - Multitudine seruorum inutilium, qui familiam perturbent, non delectentur.
- Serui qui admonendi, ut
  - Seruiant in Domino.
  - Eatenus pareant Dominis suis, quatenus, quod iubent, cum lege Domini consentit, aut non aduersatur.
  - Non adulentur.
  - Sint fideles.
- Ruri habitantes, qui admonendi sunt, ut
  - Omnia, quæ ruri accidunt, frugum copiam, sterilitatem, siccitatem, ad Dei prouidentiam referant, in ijsq. diuinam bonitatem contemplentur.
  - Ne furentur.
  - Decimis non fraudent; quoniam id est corrumpere patrimonium suum.

- Ad commouendum plurimū ualent
  - Exempla Sanctorum, et Sanctarum, ut si de contemnenda morte agatur, Martyrum exempla, Stephani, Laurentij, et aliorum in medium sunt afferenda.
  - Sententia, quæ est oratio aliquid enuncians de re uniuersali, uel optāda, uel fugienda, aut est
    - Simplex, Vt bona est Religio Christiana.
    - Aut rationem adiūctam habet, et hanc uel
      - Implicitam, et uocatur sententia Enthymematica, ut ne contendas cum uiro locuplete, ne forte cōtra te instituat litem tibi.
      - Explicitā, et appellatur pars Enthymematis; ut non est gaudendum ob mortē inimici, quia poterat conuerti ad Dominum.
  - Enthymemata, quæ conficiuntur ex indicijs non longe petitis, sed proximis, et apertis, et ubi catholice uiuitur, multo crebrius ad confirmandum, quam ad refellendum adhibentur.

Cōciliātur uero auditores elocutione, q̄ in hoc consistit, ut Ecclesiasticus Orator ad populum dicat

- Considerate
  - Ne in aliquā ineptiā incidat; quod fiet, si in dicendo rationē non habebit
    - Loci; ut qui aliqua fabella auditorum animos oblectare student.
    - Temporis, ut qui longitudine sermonis, et longis digressionibus Auditores tædio afficiunt.
    - Propriæ personæ, ut illi, qui obliti muneris sui, subtilibus disputationibus populum non docent, sed in sui admirationem cōnantur trahere.
    - Auditorum; ut illi, qui explosas iamdiu Philosophorum opiniones, de Fato, contra Dei prouidentiam, de sequendis uoluptatibus in medium afferunt, eas (quod minime est necesse) ut refellant.
  - Ne frigidam orationem efficiat, quod fit
    - Cum audet
      - Nomina confingere.
      - Varietatē linguarum Græcæ, Latinæ, Hebraicæ, orationem confundere.
      - Superuacaneis verbis, et Epithetis uti
    - Cum dicentis actio, quæ est tamquam corporis Sermo, rebus, de quibus agitur, nō est accommodata. Actio autem posita est
      - In uocis moderatione, ne ab oratione discordet.
      - In gestu oculorum, oris, manuum, pedum, et totius corporis.
- Emendate, uitās
  - Soloecismos
  - Barbarismos
  - Quod consequetur, si in ea, in qua natus est, lingua se exercens, molestas quasdam uoces mutauerit, aut potius correxerit.
- Perspicue. perspicuitas autē orationis cōsistit interdum
  - In proprietate
    - Nominum. Sunt tamen quædam corporis partes, quæ proprijs nominibus explicandæ non sunt, et insignia quædam peccata, sed adhibita circumlocutione.
    - Verborum. Propria uero uerba dicuntur, quæ communi loquendi usu recepta sunt, ut Philosophus, Theologus, docere, discere, et huiusmodi.
  - In translationibus. Translata uerba dicuntur, quæ à propria signification ad aliam non propriam transferuntur. Vt gratia dicitur fons uitæ. In quorū usu hæ cautiones sunt adhibendæ,
    - Ne a remotis sumantur. Vt si quis Christum, Serenissimū diceret; quia Rex.
    - Ne ab ulla re turpi proficiscantur; Vt si quis Deum patrē, carnificem Christi nominaret; quia iussit, ut propter peccata hominū moreretur.
- Apposite P.
- Ordinate, Q.
- Memoriter. R.
- Cum dignitate. S.

Infra,

P. Apposi-

Cum in tenui, ac subtili genere orationis uersatur.

Ab initio id, de quo sibi dicendum est, proponat.

Quod propositum fuerit, explanet.

Vtatur difinitione, diuisione, rerum distinctione.

Quomodo autem debeat proponere Ecclesiasticus Orator, qualis debeat esse propositio, Item de Diuisione, et distinctione paulo post dicemus.

P. Apposite dicet Orator, si formas, ac figuras cũ uerborum, tum sententiarum, rebus, de quibus agit, accommodaue rit, ita ut

Breuem nonnunquam rationem subijciat, hoc modo. Cupitis scire, quamobrem in uarias calamitates incidatis? melioris spei filij decedant? qui supersunt uos tristitia afficiant? uarijs morbis affligamini? charitate annonæ, et alijs incommodis exerceat uos, aut puniat potius Deus? quia eius mandata non custoditis, quia iniusti estis in uos, et in alios.

Ad ea, quæ proposita erunt, reuertatur hac ratione. Ita dictante Spiritus sancto, ne illud quidem, quod dixeram cogitans, digressus sum; utinam cum aliquo uestro fructu. Nunc redeamus, unde deflexit oratio.

Concludet interdum in hunc modum. Vellem fratres charissimi, ut tandem aliquando tot sermonum, tot concionum, tot hortationum mearum conclusio existeret; Essetis uos populus Dei, hæreditas Christi, gaudium meum, et corona mea, humana contemneretis, huius exilij obliti ad cœlestem patriam aspiraretis.

Ex conclusione transibit alio. Vt agens de Curiositate, quam Ocij filiã nominamus, ubi ostenderit Curiosos non solum tempus conterrere, sed etiam discordias serere; subiunget, sibi etiam odium comparare solitos; et, cum maxime soleant esse delatores; in uarias plerumq. calamitates incidere.

Adhibebit interdum repetitionem hoc modo. Christiani, Christi membra fugimus, Christiani iniurias ulciscimur, Christiani aciem Christi deserimus.

Adhibebit uocabula propria, quæ rem plane significent.

Cum in temperato dicendi Genere
Cum in grandi, ac sublimi orationis Genere
Versatur, utatur ijs dicendi formis, de quibus mox infra, T. V.

In tota Oratione decorum seruet. De quo paulo post, X.

1. Illustri explanatione, et sub aspectum subiectione, hoc modo. Considerate fratres, intuemini imaginem orbis terræ, maior pars, impia Mahumeti tyrannidi oppressa est. In ijs, qui Christum agnoscunt Deum, quot monstra opinionum, quot portenta hæresum, quam uarij, et pestiferi errores, multorum mentes infecerunt? Nos, qui sanctam matrem Ecclesiam sequimur, et in fide non erramus, nostram fidem operibus non confirmamus, nec fides, nec sinceritas apud nos reperitur.

2. Tragica rerum expositione. Vt de amissa Insula Cypro ita exponet. Assur immanissimus Turcarum Tyrannus, uirga furoris, et baculus iræ Domini, ita, eo permittente, percussit nos, regnat, et in dies crescit impietas, triumphat dira crudelitas, Regnum nobilissimum in Tyranni potestatem redactum est, sanctissima Templa uastata; qui Reip. Venetæ nomine regebant, primarij etiam Regni ipsius uiri miserabiliter obtruncati, uiolatæ uirgines, igne et flamma decor extinctus Ciuitatis, cæsi innumerabiles homines, multi etiam captiui ut haberent, unde Christiani hominis hostes insultarent, Byzantium sunt perducti.

3. Morum, et uitæ imitatione. Vt ulciscere illatas iniurias, occide inimicum tuum, filios tuos hæredes huius intestini odij relinque, imminue patrimonium tuum, dita prætorios ministros, et ultorem omnium iniuriarum acerrimum omnes prædicent; considerabis deinde cum recte feceris.

I. Cum in temperato genere orationis uersatur Ecclesiasticus Orator, utatu.

4. Rebus, quæ sensu, et uita carent, sensum et motum adiungat; ut, superuacaneæ uestes, sumptuosa conuiuia, testantur uos non egere, uos non diligere pauperes, quippe qui eis sua subtrahitis, ut crapulemini.

5. Quæ rem attingunt, cum ea coniungat; ut quid agunt quidam ex uobis? ingurgitant, non concoquunt, eis pituita molesta est, oriuntur febres, immaturo tempore senescunt, decidit memoria, libidine cruciantur, minuunt patrimonium, miseri in hac uita ad mortem perpetuam festinant.

6. Vtatur Anthitetis; ut docens spiritualis uitæ commoda, et sanctas oblectationes, dicat, uoluptates corporis debilitant corpus; gaudia spiritus uim animi augent; illæ pœnitentiam, hæ lætitiam, illę infamiam, hæ laudem coram Deo, et hominibus pariunt.

7. Periphrasi, hoc modo. Ille, qui eos, quos solet euchere, maxime decipit, qui uitia, uirtutis specie plerunq. extollit, qui eos, a quibus magis diligitur, sæpius fallit, probitatis, et innocentiæ irrisor, a quo nemo tandem interdum non est deceptus, dissimulationis, adulationis magister, honorum et diuitiarum admirator, impurarum uoluptatum minister, et callidus Sophista, et bonorum etiam ingeniorum corruptor, ille est, quem amatis, quem creditis mundum esse? Mundus est is, quem uobis descripsi.

8. Paronomasia. Hac usus est B. Basilius in eo explicando, destruam horrea mea; habes, inquit, horrea uentres pauperum. Et illa B. Ambrosius de B. Virgine. Neq. enim, inquit, comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat.

9. Interrogatione. Vt cogitatis interdum fratres, Vos esse homines ad imaginem Dei factos? cogitatis sanguine Domini nostri Iesu Christi uos esse redemptos? cogitatis quid pro uobis in sanctissimo baptismatis sacramento sponsores uestri polliciti sunt? certe rerum omnium, quas cõmemoraui, uos oblitos quispiam posset iudicare, cum sic uiuatis, ut nec dignitatem hominis, nec beneficia, quæ a Deo accepistis, recordari uideamini.

10. Percunctatione. Vt num putatis aliquem esse, qui crucem suam non ferat?

mihi

mihi credite, et Reges, et Principes, et omnium generum homines ferunt crucem suam; maiorem illi, quos feliciores putatis.

11. Auersione hoc modo ad auditores. Accepistis a me, fratres, quæ sit uoluntas Dei, quid sanctum Euangelium doceat; Reliquum est, ut, ne frustra uos sermoni meo interfuisse uideamini, operibus ostendatis.

12. Dubitatione. Vt surdis canam fabulam nec ne, uehementer dubito; quod quidem mihi maxime molestum esset.

13. Correctione. Vt multi ita se diligunt, aut potius se non diligunt, ut adulationibus delectentur, monitores odio habeant.

14. Paululum immutato verbo. Vt Veronæ non incomode dicere poterit; Veronam dictam esse, ut esset uere una in Christo, in sancta Ecclesia, et omnes amore inter se essent coniuncti.

15. Descriptione. Describere autem poterit pestem ad commouendum diuites, ad subueniendum pauperibusq. ita etiam sterilitatem excitans ad eleemosynam, et ad pœnitentiam.

Moneat V. C. Vbi Euangelij, aut Epistolæ partem explicauerit, tamquam potestatem habens, monebit Auditores, se eorum peccata commemorasse, ut cum illis communem calamitatem lugeret, et luctus ille interior pœnitentiam salutarem pareret. Et dicat, non ut confundam uos hæc dico, sed ut filios charissimos moneo.

Obsecret. Vt obsecro uos, charissimi filij, quos D. N. Iesus Christus meæ fidei credidit, quos uita chariores habeo; quibus iter ueræ Beatitudinis ostendere in primis studeo; obsecro inquam uos, ut uobis ipsi attendatis, cogitetis, qui sitis, sub cuius uexillo militetis.

Execretur. Vt exterminentur, qui occidunt homines, qui contaminant sanctum matrimonium, qui opprimunt pupillum, et uiduam.

Contemnat. Vt ubi uitia acriter reprehenderit, dicat interdum se omnia contemnere, ut animas lucretur Christo his uerbis. Me miserum si uos omnes me laudaueritis, si peccata uestra dissimulauero, si mea indulgentia deteriores euaseritis, laudationes uestras, omnia commoda, omnes honores nihili facio, ut uos Christo lucrifaciam.

Detestetur peruersos Christianæ Reip. mores, præsertim illa uitia, quibus populus, cui præest, est deditus.

Horrorem incutiat; et nominare poterit nomen Oppidi, et Ciuitatis, in qua sermonem habebit, et horrorem incutere, dicens; euersurum eos Dominum, nisi resipiscant.

V. In grandi, ac sublimi orationis genere debet Ecclesiasticus Orator

Insultet impijs, hoc modo. Quid miseri de patria exules nunquam cogitatis? sic uiuitis tamquam nunquam ad aliam uitam migraturi? Dei filij adoptiui; fratres Christi, participes æternæ Beatitudinis uos ipsi non agnoscitis? cogitationes, et curas uestras omnes ponitis in rebus abiectis, atque terrenis.

Increpet hoc modo. Vbi sunt, qui corrumpunt hoc Oppidum? Vbi reperiuntur inimicitiarum, et calamitatum huius Ciuitatis ministri? iam mortui sunt, aut miserrime uiuunt; nolite peruersos illorum mores imitari, ne eiusdem calamitatis miseriæ participes efficiamini.

Glorie-

uarijs modis auditores afficere, ita ut interdum.

Glorietur eo die, quo Auditores sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserunt; dicat. Exeat nunc perennis animarum nostrarum hostis, exeat auidissimus perditionis nostræ Sathanas, et cum Christo, cuius sanctissimum corpus sumpsimus, cui per fidem maxime iuncti sumus, congrediatur. Vincemus, charissimi filij, quia Imperator noster Christus semper regnat, semper uincit.

Lamentetur hoc modo. Quid me miserum laboribus, uigilijs, prædicationibus, quid meis precibus ad Deum, quid mea paterna pietate sum consecutus? cum me hortante, me rogante, me obsecrante, peruersa hæc saltandi consuetudo; hæc perniciosa dæmonum ars, qua animæ irretiuntur, non tollitur.

Minetur res, quæ imminet, quarum memoria molestissima est. Vt nisi resipiscamus, nisi ad pœnitentiam conuertamur, sumpturum Dominum pœnas de peccatis nostris, affirmo uobis, ita eius exigente iustitia, terræmotu, fluuiorum innundatione, bello, fame, pæste puniturum populum.

Terreat. Vt si incommoda belli, penuriæ, pestis, et maxime diuinæ indignationis effectus ante oculos ponat. V. C. Non colligetis messes, Fratres; Filij uestri uobis immatura morte præripientur, uarijs calamitatibus opprimemini; quia Deum non agnoscitis, quia cum blasphematis, quia decimas fraudatis.

Exclamet interdum; O tempora, o mores, o prauas consuetudines, o peruersa hominum ingenia, o miserum sæculum, o calamitosam Remp. Christianam. Adhibebit tamen modum in exclamationibus, illasq. post repræhensionem uitiorum, præsertim publicorum collocabit.

Optet interdum sic. Vtinam saperes, utinam intelligeres, utinam nouissima prouideres, utinam tibi attenderes, utinam Dei uoces audires.

Interrogatione utatur, quæ premat. et urgeat. Vt num Christiani dicuntur, qui iniurias remittere indignum putant? num qui uiuunt sunt primitiuæ Ecclesiæ Christianis similes? num imitamini uos atauorum, et auorum uestrorum religionem, frugalitatem, et modestiam? si nobilitatis, si bonorum externorum hæredes fuistis, estote etiam religionis, et liberalitatis Christianæ.

Communicet cum Auditore sententiam suam hoc modo. Laudandi sunt filij, qui parentes deserunt, laudandi Patres, qui prouocant filios suos ad iracundiam, laudandæ uxores superbæ, quæ tyrannidem exercent in uiros, laudandi uiri, qui fugiunt uxores suas tamquam pestem, uos ipsi indicate. hæc flens dico, hac dicendi moderatione utor, ne uos confundam.

Ironice loquatur, raro tamen; nam ab omni fuci suspicione abesse debet. Hoc modo. Hi sunt fideles Christi, hic est populus Dei, hi auditores optimorum concionatorum.

Liberam uocem proferat, raro tamen. Verbi causa. Quid potui facere, fratres, et non feci? nunquam per multum tempus à uobis discessi; Vobis, quantum potui, opem tuli, paterno uos amore dilexi: pro quibus rebus, quas gratias mihi habetis, fratres? nihil profuit mea diligentia, obfuit potius quibusdam qui me monitorem ferre non possunt, et ueluti Phrenetici, animarum suarum medicum auersantur.

X. Deco-

Decorum Ecclesiasticus Orator seruabit, si eius oratio erit

- Affecta (affectum dicimus quasi sanguinem orationis) erit autem affecta.
  - Si neminem nominauerit, nec indicauerit, sed dilectione Dei, et amore proximi se commotum ostenderit.
  - Si usus fuerit.
    - Submisso genere orationis, cum docet.
    - Temperato, cum laudat.
    - Sublimi, cum aliquid agendum est, et populus ab eo alienus uideatur.
- Morata, mores enim quasi anima sunt orationis, qua utatur ad comprobandum
  - Argumentis,
  - Signis
    - In hac necessarium est, ut Orator Ecclesiasticus ostendat se
      - In sacris litteris uersatum.
      - A Spiritu sancto edoctum.
      - Sanctis moribus ornatum.
      - Ad dicẽdi munus uocatum.

Legendus B. Paulus, qui cælestem loquendi formam in suis Epistolis expressit.

Decorũ percipitur sanctorum Patrum

- Obseruatione.
- Imitatione, ideo Clericis in primis.
  - Legenda scripta sanctorũ Patrum.
    - Græcorum. Nazianzeni, Basilij, Chrysostomi, Nysseni.
    - Latinorum. Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Gregorij Pontificis, Leonis, Bernardi.
  - Colligendi pulcherrimi quidam loci ex commentarijs in
    - Psalmos.
    - Euangelistas.
    - Epistolas Pauli.

Vt Ecclesiasticus Orator Decorum seruet, has leges sibi præscribat.

- Vt nunquam falsum dicat, etiam si speret posse Auditores ad pœnitentiam conuerti.
- Ne aduletur Auditoribus.
- Vt si interdum laudat, uituperet etiam.
- Vt nunquam de prædestinatione loquatur, quin subdat liberum esse hominis arbitrium.
- Nunquam de peruersis quorundam Sacerdotum moribus dicat, quin de Sacerdotij auctoritate prius multa dixerit.
- Nunquam matrimonium ita laudet, ut uirginitatem ei non præferat.
- Ne se ipse iactet, aut sua.
- Ne in Sacerdotes, in ordinem Episcoporum, in Principes, multo minus in Pontificem Maximum dicere audeat.

Hæc autẽ omnia, quæ de uarijs dicendi formis, deque decoro dicta sunt cõsequetur.

- Si iudicium, quod condimentum Orationis, et actionum omnium humanarum est, in dicendo adhibuerit.
- Si ea uerba, quæ S. Hieronymus de quodam Concionatore dixit, ad se pertinere maxime existimauerit. Nec ad instar (inquit) imperiti medici, uno collyrio omnes uult curare, sed per singulas Ecclesias uulneribus medetur illatis. Orator enim Ecclesiasticus debet diligenter inquirere mores, et præcipua uitia illius Ciuitatis, ubi sermones habiturus est, et ad ea sermones suos accommodare.

Q. Ordo

Q.

Ordo est dispositio, et conuenientia partium, pulchritudo rerum, ac ueluti anima; sine quo nihil pulchre dici potest. Vt autem ordinate dicat, Oportet, ut cum opus est, utis oibus orationis partibus, collocetur.

Primo loco exordiũ, quod debet esse.

- Verecundum.
- Graue,
- Breue.
- Interdum ex abrupto

Est autem institutum ex ordinum, ut Auditores efficiantur.

- Dociles; quod consequetur Orator, si ordine se dicturũ, et argutas quæstiones omissurum pollicebitur.
- Attenti, quod efficiet, si dixerit se de salute animarum sermonem habiturũ, et non quod ipse Deus, aut Dei serui diuino spiritu afflati litteris consignauerunt in mediũ allaturum.
- Beneuoli; quod præstabit, si neque inanis gloriæ cupiditate, neque auaritiæ, sed zelo Dei, et studio salutis animarum, munus dicendi se suscepisse affirmabit.

Secundo ꝓpositio, hæc autẽ debet esse.

- Vna, hoc est ad unam propositionem reducta; ut explicaturus Euangelium in solẽnitate omnium Sanctorum, proponat sibi dicere, quæ sit beatitudo; et explicet primum quid non sit Beatitudo, deinde quæ sit huius nostræ Peregrinationis beatitudo, tum singulas, quas ibi Domini nostri enumerat poterit explicare.
- Catholica; quæ est sanctæ matris Ecclesiæ enunciatio, eaq. uetustate, et consensu Patrum dignoscitur.
- Popularis, hoc est ad populorum captum accommodata.

Quomodo explicãda sit propositio, Ars interpretandi sacras litteras docet. Vt infra, Y.

Digredi sæpe debebit Ecclesiasticus Orator. Hi autem præcipui digressionũ loci esse poterunt.

- Contra peruersos mores spectaculorum.
- Contra choros Sathanæ, libidinum magistros, horum temporum insulsas Comœdias.
- Belli tempore de iustissima ira Dei, de falsæ pacis incommodis.
- In charitate annonæ propter peccata dicat res aduersas euenire.
- De peccatis linguæ digrediatur sæpe; linguam esse inquietum malum, et uenenum mortiferum, esse ueluti ignem, qui inter omnia elementa maxime destruit, lingua destructas esse domos, et ciuitates.
- Blasphemos dicat esse monstra hominum, portenta Ciuitatum, ciues Inferni, canibus Iudæis, Hæreticis peiores.
- Periuros esse perturbatores humanæ societatis, iustitiæ corruptores, iurgiorum, et inimicitiarum ministros, Sacerdotes Sathanæ.
- Detractores repræhendet, serpentinam linguam detractioni assuetam merito appellabit.
- Detractoribus minime credendum esse; et uerbis S. Hieronymi utens, dicat, nihil tam inquietare animam, et mentem leuem, et mobilem facere, quam facile detractoribus credere.
- Dicet adulatores esse falsos amicos, pestem humanæ societatis, uenenum

uenenum dulce incautis hominibus propinare consueuisse: lac esse cibum puerorum, puerile esse cantilena suarum laudum, et adulationibus decipi.

Dicat mendaces esse filios Diaboli, desertores milites Christi, infames homines.

Reprehendet seminatores zizaniarum, et dicet Dominum detestatum esse huiusmodi homines, ut Salomon scribit.

Addet litigatores esse imitatores Dæmonum, et odiosos hominibus.

Iactantes sua, esse Gallinæ similes, quæ ubi ouum emisit, clamat, donec significet esse factum; quod ei statim adimitur; ita subripere Sathanam solitum bona, quæ fecerimus.

In primis hos locos per digressionẽ tractet

- Vitam Christianorum non initio, sed fine iudicari exemplo Iudæ, et sancti Pauli.
- Perfectam sapientiam esse fugere uel minima peccata.
- Hanc uitam esse exilium.
- Magnam apud Deum libertatem esse, non seruire peccatis.
- Summam nobilitatem clarum esse virtutibus.
- De cælesti patria cogitandum.
- Eleemosynas præmittendas multorum generum.
- Remittendas iniurias.
- Docendos, et consolandos, qui doctrina, et consolatione egent.
- Denique ad has, et huiusmodi Digresiones faciendas, magnam Ecclesiastico Oratori copiam suppeditabunt libri de virtutibus, et vitijs; præsertim ille, quem scripsit Gulielmus Peraldus Episcopus Lugdunensis.

Tertio loco Diuisio, quæ ueluti instrumentum propositioni seruit. De qua paulo post, Z.

Quarto, Confirmatio. De qua pauca dicuntur.

Quinto loco Epilogus, in quo

- Aut summa totius sermonis, aut præcipua capita sunt repetenda.
- Aut aliquid de Beatitudine, de æternis supplicijs est dicendum.
- Aut cum lachrymis ad Deum sermo est conuertendus, quod tamen non sæpe, nec longa oratione faciendum est. nihil enim citius arescit lachryma.

Z. Diuisio. Cuius diuersæ sunt species.

- Alia, quæ magis proprie dici potest Enumeratio, ut est illa apud Salomonem in principio Ecclesiastes.
- Alia est distinctio vocis, quæ diuisio est generis eiusdem per oppositas differentias, Vt cum dicimus Christianorum
  - Quosdam esse Catholicos.
  - Quosdam non Catholicos.

FINIS.

Y. Ars interpretandi sacras literas continetur sẽsuum, qui in eis continentur,

- 1. Distinctione, Sẽsus autem sunt quattuor,
  - 1. Litteralis, qui historicus etiã dicitur, qui ueritatem factorum explicat.
  - 2. Moralis, qui ad uitæ emendationẽ mysticos sensus accõmodat.
  - 3. Allegoricus, qui rerum gestarum narrationẽ, futurorum umbram prætulisse demonstrat.
    - Allegoriã peperit,
      - Necessitas, quæ oritur, cũ uerba uidentur
        - Falsitatem præseferre. Vt illud, Super aspidem, et basiliscũ ambulabis, et conculcabis leonem, et draconẽ, quod per allegoriam referendum est, ad uictoriam, quam retulit Christus de mundo, diabolo, peccato, et morte.
        - In sẽsu Grammatico sumpta absurditatem parere, ut cũ Deo pœnitentia, ignorantia, furor tribuitur.
        - Pugnare cum sancta doctrina, uel bonis moribus, ut cũ oculũ eijciendum præcipit Dominus, fugiendos propinquos, et huiusmodi.
      - Vtilitas. Cum uerba per se sumpta nullam utilitatem uidentur afferre, ut historia Iacob, qui deceptus a socero Laban, Liam in matrimonium accepit, existimans se potitum Rachele, pro qua longo tempore seruierat. Licebit igitur Liam interpretari Philosophiam de moribus, Rachelem, Philosophiam contemplantem, hoc est Theologiam, quam nemo recte percipit, nisi qui bonis moribus sit præditus.
  - 4. Anagogicus, qui ad sacratiora cœlestium figurarũ præcepta perducit.
- Inuẽtione, quæ
  - Historicam intelligentiam docet.
  - Ad inuestigandos reconditos, pœnitusq. abstrusos diuinarũ literarum mysticos sensus, uiam demonstrat.
- Dispositione, ut
  - Primũ iaciatur doctrinæ fundamẽtũ; quid sibi uelint uerba sacræ scripturæ, explicatur.
  - Deinde, ut mores animi auditorũ excitẽtur, quod sãctos Patres fecisse, licet animaduertere.
- Sunt tria alia expositionũ genera.
  - Elementarium.
  - Physicum.
  - Propheticum, a quo debet Orator abstinere.

R. Memoria Ecclesiastici Oratoris
- Conseruatur, et augetur exercitatione.
- Incredibiliter ordine crescit.
- Stylo adiuuatur.

S. Dignitas uero Ecclesiastici Oratoris consistit in moderatione
- Vultus.
- Vocis.
- Habitus.

FINIS.

P. Galesinius Protonotarius Apostolicus pro Illustriss. Cardinale Borrhomæo, & pro Reuerendo P. Inquisitore.

14

PRAELECTIONES TRES
AB AVGVSTINO VALERIO, EPISCOPO VERONAE,

quibus omnis rhetoricæ ecclesiasticæ explicandæ ratio traditur.



ACOLYTHIS CATHEDRALIS Ecclesiæ, et Clericis tum Seminarij, tū totius diœcæsis Veronensis,

Ioannes Baptista Possevinus iunior.

S. P. D.



RHETORICA Ecclesiastica, quam Augustinus Valerius, cōmunis omnium nostrum Episcopus et pater, iubente CAROLO CARDINALE BORROMEO scripsit, tandem aliquando maximo Dei beneficio in lucem uenit. Faxit Deus opt. max. bonarum rerum omnium et egregij huius operis primus ac præcipuus auctor, fratres carissimi, ut paternum hoc pastoris nostri munus, grato ut debemus, animo excipiamus: et pulcherrima quæ non modo publicis et priuatis adhortationibus, sed et scriptis etiam nobis tradit præcepta, quanta possumus diligentia, ad usum reuocemus: et summam eius erga nos omnes beneuolentiam agnoscamus; qui (ut omnes probe nostis) post delatam sibi episcopalis oneris dignitatem, maxima animi sollicitudine in id semper incubuit, ut nobis omnibus, qui in ipsis adhuc Ecclesię sanctę (ut ita dicā) foribus sumus, studiisq. nostris, meliori qua posset ratione consuleret: quod ut aliquo pacto consequeretur, nullis parcens laboribus, inter tot, tantasq. muneris sui occupationes, non exiguū hoc de dicendi ratione opus conscripsit: neque modo conscripsit, sed quo filiorum suorum utilitati copiosius satisfieret; auctor interpretis personam induens, tribus pulcherrimis, atque admodum fructuosis ad uos habitis prælectionibus seipsum exposuit; quas quod audire non potuerim, cum nondum Veronæ essem, uehementer doleo: uenerunt tamen superioribus diebus, antequam uniuersum hoc opus esset impressum, ad manus meas; quas etsi ipsemet qui eas habuit, minime conscripserit, fuerunt tamen eo prælegente, auditorum scriptis diligenter exceptæ; eas maxima sane cū utilitate et animi mei uoluptate perlegi: in qui-

bus, præter latinæ linguæ elegantiam (cum præsertim ex tempore loqueretur) sententiarum grauitatem, et uariam doctrinæ supellectilem admiratus cum insignes ex iis utilitates percipi posse animaduertissem; episcopum, (qui nos omnes paterno quodam amore complectitur) pluribus uerbis rogaui, ut (nequid hac in re desiderari posse uideretur) eas edi permitteret; ex quibus et libri huius utilitatem eximiam, atque necessitatem, et auctoris scopum ac methodum; quos etiam eius interpretes, et auditores mores deceant, aliaque quamplurima scitu dignissima, facile percipiamus: quod magno equidem labore ab eodem impetraui. Accipite igitur (fratres amantissimi) fructuosissima hæc totius huius diuinæ potius quam humanæ facultatis prolegomena, uobis a patre uestro et eiusdem operis auctore accurate explicata; eaq. frequenter et studiose perlegite; iis ut, aliquando librum hunc interpretaturi (spero autem, fore non paucos e tanta clericorum copia, qui id breui possint pro dignitate præstare) uestra cum laude, et audientium fructu uti possitis. Valete.

PRAELECTIO PRIMA.



NDE magna oritur perturbatio, et confusio, charissimi filij, quod non intelligant homines, ad quid potissimum sint nati, et quo eorum studia sint referenda: inde etiam fit, ut eam sacerdotum copiam non habeamus, quam optaremus, et qua maxime hæc Ecclesia indigeret; idcirco non desino pro mea paterna erga uos charitate, ac pro meo officio, uos sæpe hortari, ut uos ipsi cognoscatis finem uestrorum studiorum, et uestrarum actionum; cogitetis sæpe uos Ecclesiæ sumptibus ali, ut ad nobilissimum sacerdotij gradum ascendatis, ut ministri Dei, mediatores inter populum et Deum sitis, atqne etiam (quod uehementer opto) coadiutores mei in animarum, quas Dominus noster IESVS CHRISTVS *fidei meæ tradidit cura; quod ut consequi possitis, in iis studiis uobis assuescendum est, ista ætate, quæ maxime sacerdotes decent, nimirum ut oretis, sanctis orationibus delectemini, quando celebrare per ætatem uobis non liceat, sanctissimo sacrificio Missæ singulis diebus maxima deuotione et attentione intersitis: et cum nondum ad illam ætatem perueneritis, neque illum gradum in Ecclesia teneatis, ut sitis idonei ad docendum, adolescentiam uestram cognitione literarum, doctrina in primis Ecclesiastica ornetis. et quoniam (charissimi filij) quamuis doctrinarum, et omnium bonorum magister sit spiritus sanctus, ad excitandam tamen humilitatem nostram, requirit sæpe Dominus non solum preces, quæ quidem multum conferunt, et uitæ innocentiam, sed etiam studium, et diligentiam, quibus disciplinæ comparantur, hac in re nolite uobis deesse; ego certe quantum in me fuit, nunquam defui: non desunt etiam fratres mei Canonici qui adsunt, qui cohortationibus multis, uos ad studia et ad omnes uirtutes solent impellere cum autem usu ueniat, ut Sacerdos quod ipse didicerit, ad gloriam Dei communicet cũ cæteris, eos hortando, aut docendo, aut consolando; idcirco in ea parte Theologiæ, quam eius succum possumus dicere, quæ summis quibusdam continetur, uos uersari oportere intelligo; in qua ut facilius, et maiore cum fructu possitis proficere, et scholasticam doctrinam, quam expultricem errorum, et catholicæ ueritatis fidelissimam ministram nominamus (quantum ad uestrum officium pertinebit)*

nebit) teneatis, iussimus etiam ut in logicis uersaremini. uerum cum nō sacerdotes modo, sed etiam parochi (ut spero) futuri sitis, quorum præcipuum est munus docere populum; hoc etiam in docendi munere estis erudiendi; præcepta huius artis, quam Ecclesiasticam Rhetoricam nominaui mus, uobis tradenda sunt. qua in re non mihi esse recusandum laborem præfandi aliquid ad utilitatem studiorum uestrorum iudicaui; cum uehementer cupiam (ut sæpe iam dixi) uos esse optimos et doctissimos, ueros angelos Dei, ueros internuntios populi ad Deum, et dignos bonorum sacerdotum, qui ante uos in hac Ecclesia fuerunt, successores. Quid igitur agam ut uestris studiis consulam? proponam hæc capita explicanda, et munere magistri multis iam annis intermisso fungar; non magna quædam, sed tamen utilia, et uestris studiis (ut opinor) accommodata persequar. Explicabo primum quid sibi uelit illa inscriptio, Ecclesiastica Rhetorica ad clericos: secundo loco, quis fuerit scopus in hoc opere; tertio dicam de methodo, qua est scriptum, et de diuisione librorum; quarto de utilitate; quinto quis fuerit auctor operis; sexto de interprete; septimo de legitimo auditore; octauo qua ratione hæc præcepta sint ad usum reuocanda indicabo: quæ autem proposui, explicabo breuius et dilucidius quam potero, et tribus tantum prælectionibus; aliis enim, et grauioribus occupationibus impedior. Itaque primum caput aggrediamur, quod pertinet ad inscriptionem. Quia homo ab aliis animalibus, ratione, et sermone differt; ut sermone quo differt ab aliis animalibus, aliis etiam hominibus excelleret, eosque iuuaret; Rhetoricam artem inuentam legimus, quam docti homines descripserunt, artem bene dicendi, esse collocandam in genere artium sermocinalium, et earum, quæ proprium semper finem non consequuntur. non enim semper persuadet orator, et quamuis non persuadeat, boni oratoris nomen non amittit. esse inquam Rhetoricam artem sermocinalem, comperietis in illa tabella, quam uobis proponimus, et quam uobis memoriæ commendandam putamus. continet enim omnes scientias, et omnes artes, et qua ratione inter se quasi quadā affinitate coniunctæ quædam sint, qua ratione etiam distinguantur; hanc nemo uestrum non commendet memoriæ. afferet enim hæc distinctio artiū et scientiarum uobis non minimas utilitates, in omni uita; et ad doctrinæ existimationem, quæ si cum humilitate coniuncta sit, non est negligenda, non minimum conferet. Rhetoricam distinxit Plato magnus sane philoso-

philosophus; alteram in Phædro nominauit philosophicam, cuius præceptis, mortales ad bonum perducerentur, eamque miris laudibus effert; alteram in Gorgia dixit uilem, abiectam, et adulatoriam, qua, lenociniis quibusdam, populi allicerentur, ac deciperentur; quo loco idē Plato quatuor enumerat artes, duas ad animum, et duas ad corpus pertinentes. Præceptorum copiam, quibus animus conseruatur, appellat artem siue facultatem legalem quamuis proprie scientia appellari possit; iudiciariam uero, appellat facultatem, qua animus corrigitur. idem scribit, corpus conseruari arte gymnastica, quæ constat exercitationibus moderatis, et opportunis; medicina sanari, cuius tria sunt instrumenta (ut omnes sciunt) diæta, pharmacia, et chirurgia, tutius autē instrumentum est diæta, hoc est ratio uictus. Hac distinctione posita, uir admirabili ingenio præditus facit quatuor artes adulatorias, abiectas, et uiles; quatuor (quas nominaui) simulantes, et affectantes. Sophisticam, affectantem, legalem. affectant enim sophistæ; et aucupantur famam sapientiæ cum ab ea longissime absint, et quos uenantur adolescentes (ut idem ait Plato) diuites in primis, maxime solent, corrumpere; nominat oratoriam affectantem iudiciariam; patres enim patriæ haberi uoluerunt oratores, et cum sæpe propriæ gloriæ studerent, seditiones maximas concitauerunt, et respublicas euerterunt, quam rem non est necesse pluribus exemplis confirmare; nominat fucatoriam quandam artem simulantem gymnasticam, qua nōnulli seipsos, et alios decipientes, coloribus et fucis quibusdam, imbecillitatem corporis, aut etiam morbos tegunt, et robustiores se esse iactant, quam sint, quod imprimis fœminarum uitium est, quæ ridiculo, et miserabili quodam conatu pulchriores student haberi, quam sint, propriam faciem plærunque fœdantes, et sibi ipsis, et ualetudini parum consulentes. quarta erat ars uilis, abiecta, et adulatoria, quæ simulabat medicinam; ars coquinaria, palato tanquam regi seruiens, et corpora plerunq. debilitans et corrumpens. qua distinctione, Socrates, Rhetoricam facultatem, analogiam et proportionem quandam habere cum coquinaria per irrisionem dixit; quanquam (ut uere dicamus) ridentem dicere uerum. quid uetuit? Cicero, qui maximam in dicendo laudem est consecutus, ita hac de re iudicauit, Socratem in irridendis oratoribus, oratorem summū apparuisse. Nos hæc missa facientes, Rhetoricam non adulatoriam, uilem, et abiectam qua, seditiones concitantur, nec philosophicam tan-

tum

tum, qua ad bonum philosophis cognitum, homines perducerentur, hoc est ad morales uirtutes, sed Ecclesiasticam, qua ad beatam et aeternam uitam populus erudiretur, qua, regnum Dei augeretur, saeuissima sathanae tirannis minueretur, et sancta Ecclesia ornaretur, tradimus. Illud nomen, ecclesiastica, additum est, ut intelligatur, nihil contineri in hac arte, quod magistra ueritatis Ecclesia non probet, non doceat, quod in sanctis literis, aut in sanctis doctoribus non reperiatur, aut saltem per similitudinem quandam, ad interpretationem sacrorũ librorum, aut ad sententias patrum non possit referri. neque meo iudicio quenquam debebit offendere, quod nomine Rhetorice utamur, cum iam ostenderimus et Platonem, Rhetoricam philosophicam cognouisse, et cum iam explicauerimus, quid eo nomine intelligamus. Aristoteles de syllogismo primum, deinde de uariis speciebus syllogismorum, disseruit in logicis: ita nobis liceat huius nobilissimae artis Rhetoricae, quae Ecclesiastica dicitur, separatim de syllogismo demonstratiuo, qui scientiam pareret, libros duos conscripsit. et quemadmodum nomen Rhetoricae non improprie (ut ostendimus) usurpauimus; usi etiam sumus alio nomine minime uisitato; loco enim concionatoris, siue doctoris, usi sumus saepe hoc nomine oratoris Ecclesiastici; tum quia nobis non fuit propositum, concionatoribus, uiris in multiplici doctrina uersatis, qui iam multis exercitationibus et laboribus, Ecclesiae Dei profuerunt, et magnam laudem sunt consecuti, praecepta tradere; tũ maxime, quia accomodauimus pauca haec praecepta, quae tradimus, breuibus etiam sermonibus, qui habentur inter missarum solemnia, aut etiã qui habentur in societatibus ad excitandos homines ad pietatem: in quibus tantum qui uersautur, concionatoris praestantissimo nomine, minime dignos putaui. Ita autem oratorem Ecclesiasticum describimus, non uirum bonum tantum (quemadmodum definiuit Quintilianus) dicendi peritum; sed uirum non solum bonum, et dicendi facultate instructum; uerum etiam sanctis quibusdam moribus uenerabilem, auctoritate, a CHRISTI *Vicario, siue ab eius ministris episcopis, sibi concessa, non seipsum sed* CHRISTVM *praedicantem; et oues* CHRISTI, *salutari uerbo pascentem; non suam, sed Dei gloriam quaerentem; quales, ut uos singuli euadatis, uehementer studeo et opto. Secundum caput erat propositum, ut declaremus scopum huius operis. hic autem est; ut dicendi facultate instructi; mecum saluti huius Veronensis populi; consulatis*

sulatis

sulatis. uultis ut apertius quid mihi in hoc opere propositũ est, explicem nobis cõmemoro, quæ sanctissimus Archiepiscopus Braccharensis, in quodam libello, qui inscribitur Stimulus pastorum, obseruauit: de Ioanne Baptista scriptum est quod esset uox, in ea significatione qua apud Terentium in illa comœdia, quæ inscribitur Adelphis, illa uerba usurpantur, quantus quantus es, totus sapientia es. in quo etiam sensu legimus in fabulis philomelam dictam totam uocem, quàm cùm uidisset lupus, quia eam magnum quid esse, ex uoce putauerat, ità dixisse fertur, tu tota uox es, nihil præterea. scopus igitur huius operis (charissimi filij) non est alius, nisi ut philomelæ Dei sitis, nihil præterea; uoces Dei sitis, organa diuinæ bonitatis; et tubæ Christi. Et quamuis etiam sine his præceptis in nobilissimo concionandi munere, uersari facilè possitis, a spiritu sancto, qui est uerus magister, edocti, et dicendi exercitatione adiuti; utilia tamen nobis fore hæc præcepta putauimus. quidquid enim scriptum est in hoc opere, et obseruatione sanctissimorum hominum et grauissimorum scriptorum, collectum est. Interrogatus B. Dominicus, qua ratione, pulcherrimas res, quas dicebat, excogitasset; et ita diceret, ut audientes in admirationem traheret, respondisse fertur; ea se in charitatis libello reperisse. Verissimum est (quis neget?) optimam magistram esse charitatem: energiam quandam, et quasi uitam orationi afferre. sed tamen (ut B. scribit Bernardus) ut lucere tantum, est uanum; ita ardere tantùm, uideri potest parum, et idcirco cum charitate coniungendam esse scientiam, et præceptorum cognitionem, quispiam iure existimauerit. Ad reprimendam hominum superbiam, et ad erudiendos nos ad humiliiatem, iussit Dominus, ut artes et scientiæ labore compararentur. quamobrem labor suscipiendus est a uobis alacriter, uobisque est enitendum, ut hæc quæ collegimus præcepta, ita ad usum reuocetis, ut me nunquàm meæ industriæ pæniteat. B. Iob de se ipso loquens dixit; Si fructus terræ absque pecunia comedi; quæ uerba explicans sanctissimus Pontifex Gregorius interpretatur, nihil esse aliud; fructus terræ sine pecunia comedere, quam Ecclesiæ emolumenta percipere, et prædicationis officium non præstare. Multi fuerunt uiri, ingenio et doctrina excellentes, qui, præcepta ad dicendum tradiderunt, quorum copia ne obrueremini, et ne uariis exemplis, quæ uestræ saluti et populorum, nullam, aut minimam utilitatem afferrent,

rent, uestra studia retardarentur, scriptum est hoc opus. Vos autem moneo, ut caput huius artis, quam Ecclesiasticam Rhetoricam nominauimus non putetis (ut Cicero suæ Rhetoricæ esse putauit) celare artem, sed præstare quæ docueritis. Quo loco imprimatis uelim in animis uestris tres pulcherrimas sententias; primam Gregorij Nazianz. quem, nihil, si eius in dicendo uim consideremus, prohibet, nos appellare christianum Demosthenem; oportet prius mundari, et sic alios mundare; oportet lumen fieri, et sic alios illuminare; sapientem prius fieri; et sic alios facere sapientes; ad Deum accedere; et sic alios ad Deum adducere, sanctificari, et ita sanctificare, manus habere rectas, et sic cadentibus porrigere manum. altera est sententia B. Augustini, quæ date operam, ut nunquam in uos poßit conuenire; exaudi te ipsum, durißime, immanißime, surdißime doctor; quid mihi lingua aurea, et cor ferreum? cum multò facilius sit loqui, quam præstare quæ loquimur. ita se res habet, magis mouent facta quam uerba. et maiore in honore illi habentur, quos cum uidemus, admiramur, quam cum audimus. pulchra etiã sententia est. B. Gregorij; cuius (inquit) uita despicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. Hæc ideo a nobis dicta sunt, ut intelligeretis, scopum nostrum fuisse; clericis tantum præcepta tradere, et illis quidem bonis; eorum studiis prodesse, nobis propositum fuisse, ut Ecclesiæ, et populo christiano consuleremus. Et hæc hodierno die satis dicta sint, fortasse etiam plura, quam oportuit, ut a uobis possent memoriæ commendari; sed quia tribus prælectionibus omnia, quæ proposuimus capita, sunt explicanda, ideo tam multa diximus.

PRAELECTIO SECVNDA.

TERTIVM erat caput, charißimi filij, ut de methodo, qua hoc opus est scriptum, et de diuisione etiam librorũ, diceremus aliquid. ita igitur se res habet; omnis pulchritudo, ab ordine proficiscitur; ita ut ordo a Platone appellatus sit anima rerum, et appellari etiam poßit anima artium et scientiarum. Declaro, quid sit methodus, uos diligenter attendite; ea enim quæ, multo tempore, et non minimo etiam labore collegeram, breuiter, et dilucide (ut spero) uobis, ante oculos ponam, quæ, si diligentiam adhibueritis, maximam uobis utilitatem

affe-

afferent, non solum ad intelligentiam huius operis, sed ad uariam et multiplicem rerum cognitionem. Itaque methodus sic describatur, quemadmodum descripta fuit a Philopono Aristotelis interprete, uia breuis docendi, cum ratione instituta; ille autem docendi rationem optimam tenet, et uir (ut ita dicam) methodicus nominari potest, qui adhibet modum docendi, qui adhibet instrumenta accommodata tractandis theorematibus; et qui in scientiis et artibus disponendis, ordinem quendam uniuersalem seruat. Modus docendi, in hoc in primis est positus, ut habeatur ratio rerum et personarum; diuerso enim modo, res traduntur; ut disciplinæ mathematicæ, formam solam considerant: naturalis scientia considerat omnes causas, sed in primis materiã, philosophia de moribus, atque etiam artes, maximè per causam finalem traduntur. Quòd si quis disciplinas mathematicas docens, omissa forma, alias causas inuestigaret, ita moralem philosophiam tractans, per alias potius causas, quàm per finalem doceret; is non adhiberet modum docendi; is methodum ignoraret. Cùm autem diuersa sint genera hominum; et alii moueantur exemplis; alij subtilibus argumentis conuincantur; si quis ad populum (ut nonnulli faciunt) sermonem habens; exquisito, et auscultatorio illo docendi genere uteretur, is sanè careret methodo. Instrumenta autem docendi artes et scientias, sunt quatuor, quod quidem hac ratione comprobari potest: nam aut docemus essentiam rei, aut probamus proprietatem aliquam inesse rei; essentia autem et natura rei explicatur definitione; definitio autem cum ex genere, et differentia constet; genus inuenitur resolutione; differentia diuisione; quamobrem diuisionem et resolutionem, docti uiri dixerunt, seruire definitioni; demonstratione uerò ostenditur, aliquam proprietatem inesse subiecto. Rem illustremus exemplis, è morali philosophia sumptis, ut fiat notior. Virtutem moralem dicimus habitum in mediocritate constitutum; hæc est essentia uirtutis; huius definitionis genus, est habitus; quod quidem genus instrumento resolutionis inuenitur, hoc modo; qui ex uirtute agit, non agit temerè, nec est uarius: uerbi causa, qui uirtute iustitiæ est ornatus, non temerè exercet iustitiam, neque interdum est iniustus. ex habitu igitur agit. præterea cùm prudentia, iustitia, temperantia, et fortitudo, sint uirtutes, et ueluti species; in quo illæ consentiunt, illud erit genus; hoc autem est habitus. diui-

sione uerò reperitur differentia, hoc modo: cum habituum animi, alij sint intellectiui, alij actiui: et actiuorum, alij sint in excessu, alij in defectu, alij in mediocritate positi; uirtus certè est habitus, non in excessu, neque in defectu, sunt enim uitia, ut auaritia, et prodigalitas, sed in mediocritate positus, ut liberalitas: sic autem ostenditur hæc proprietas; uerbi causa, uirtutem expetendam esse, quia est bona; quia est amabilis; quod sic ostenditur: omne bonum est expetendum; uirtus est bona, ergo est expetenda. hoc ipsum quod dixi, aliis exemplis illustrare, esset superuacaneum; facile esset quàm plurimis. Porro ordo non solum in distinctione rerum, et auditorum, et in quæstionibus tractandis, sed etiam in disponenda tota arte, et scientia, uersatur. Est autem ordo, dispositio partium inter se, et est quædam relatio; hæc autem est, aut simplicium partium ad magis compositas, aut compositarum ad simplices, aut reductio partium ad unum. Vnde tres oriuntur ordines, resolutiuus, compositiuus, et diffinitiuus, resolutiuus est aptus ad inueniendum; compositiuus ad docendum, definitiuus ad memoriam. Compositiuo usus est Aristoteles in logicis: tractat enim de summis rerum generibus, hoc est de decem prædicamentis, deinde de propositione, tertio de syllogismo, deque eius speciebus, demonstratiuo, dialectico, et sophistico. eodem usus est in philosophia naturali, incipiens a principiis, et progrediens ad corpora simplicia, deinde ad magis composita, huncq. eundem ordinem licet animaduertere, in tractatione sacræ theologiæ, quam uiri ingenij acumine, et multiplici doctrina præstantes, adhibita methodo, tradiderunt: primus omnium latinorum, Ioannem Damascenum scriptorē græcum imitatus, is qui magister sententiarum est appellatus: agit enim primum de Deo, deque eius attributis, deinde de creaturis, tum de homine, deq. CHRISTO, *propter nos homines, et propter nostram salutem, homine facto: ultimo loco de uirtute, deque sacramentis differit. hunc ordinem compositiuum, naturæ ordinem etiam, docti homines appellarunt. Resolutiuo usus fuisset Aristoteles, si artem logicam aggressus esset explicare a syllogismo; et si in philosophia naturali, de animalibus, primum egisset, et ultimo loco explicasset principia; aptior est multò hic ordo ad inueniendum, quàm ad docendum. Definitiuus ordo, est cùm statim à principio operis proponitur definitio; et nihil aliud tractatur, nisi explicatio ipsius definitionis, quem ordinem adhibuit Galenus in arte*

medi-

medicinali, et nos conati sumus adhibere, in hac ecclesiastica arte tradenda. Sic enim definimus Rhetoricam ecclesiasticam, esse artem inueniendi, disponendi, et eloquendi, omnia quæ ad salutem animarum pertinent, docendo, mouendo, et conciliando, ut persuadeamus, regnū Dei augeamus, et minuamus tyrannidem sathanæ. Quorsum hæc? dicitis charissimi filij. A nobis ideo hæc, multo iam tempore intermissa, et pene oblita, repetenda iudicauimus; ut ostenderemus hoc, quod uobis proponimus, opus, non prorsus carere methodo. adhibitus est modus docendi, habita ratio rerum, de quibus agitur, crassa quadam minerua, ad uestrum captum, præcepta tradita sunt: sunt etiam comprobata exemplis, ex sanctis patribus sumptis, populariter scriptis, hoc est, quibus populus possit instrui. Instrumenta quatuor, de quibus diximus, in toto opere adhibuimus: Diuisione sæpe usi sumus, cùm legem distinximus, cum de uariis uirtutibus, et peccatorum generibus, egimus, inuenientes locos communes. instrumento resolutionis adiuti plurimum sumus: definitionibus abundat opus. quid essent singulæ uirtutes, et peccata, aperuimus: demonstrationibus ab effectis, interdum usi sumus; nam demonstrationes a causa, afferre non fuit necesse, cùm præcepta Rhetoricæ tradamus; uerbi causa, cum probauimus, neminem lædi, nisi a semetipso, quia peccatum tantum est malum; cum ostendimus, humiles esse sapientes, quia seipsi cognoscunt. in tradenda autem tota ecclesiastica hac arte in uniuersum, libuit ordinem definitiuum adhibere, accommodatum ad memoriam; ut iudicarem, tenenda quidem, et memoriæ mandanda esse præcepta, sed exercitatione, ad usum reuocanda: in iis præceptis discendis, multum temporis minimè ponendum, plura esse boni sacerdotis officia præcipuum docere, quod fit non tam præceptis, quam sancta quadam simplicitate, et uitæ exemplo. Distinximus autem opus in tres libros, grauissimum philosophum, et naturæ scribam Aristotelem imitati: primo enim, qua ratione auditores docerentur: secundo, qua ratione commouerentur: tertio, qua conciliarentur, aperuimus. ita (ut summus ille uir fecit) nos etiam conati sumus, hoc opus distinguere. Integram autem totius operis diuisionem, in quadam tabella constituemus, ad usum studiorum uestrorum; ut cum præcepta uobis explicabuntur, ea non omnino uobis noua uideantur. De utilitate huius operis, dicamus aliquid, ut magis ad diligenter legendos

gendos

gendos hos libros excitemini. Attende tibi, et doctrinæ; insta in illis; hoc enim faciens, et te ipsum saluum facies, et eos, qui te audiunt, scripsit B. Paulus ad Timotheum. Saluum igitur cum faciat seipsum, et alios, qui in ecclesiastico dicendi munere, rite uersatur; facile perspicitur huius artis utilitas, quæ præcepta ad bene dicendum, continentur. D. Gregorius, tanto facilius et citius, remitti unicuique peccata, scripsit, quanto diligentius quis, populis munus prædicationis præstiterit. Quod de episcopo, sanctissimus episcopus Braccarensis (quem paulo ante nominauimus) scripsit, liceat mihi accommodare etiam ad parochos. Quid est aliud (charissimi filij) aut quid aliud potius esse deberet parochus, quam sol suæ pareciæ? homo totus ignitus, animarum saluti totus intentus, exemplo semper, uerbo sæpissime prædicans? ut sitis igitur lucernæ ardentes, Ioannes Baptistæ præcursoris domini imitatores, ecclesiasticæ Rhetoricæ cognitio non minimùm proderit. quàm magnum sit lucrum, uel unam tantum animam lucrari Christo eiusdem saluatoris testimonio confirmari potest; qui de peccatore pænitentiam agente, dixit; lætitia exultare choros Angelorum, et beatas omnes animas, quæ uisione Dei perfruuntur: non unam, aut duas, quod est magnum, ut diximus, sed innumerabiles animas, ciuitates integras, et prouincias, ecclesiastici oratores ad Deum conuerterunt, erroribus multis purgauerunt, ad sanctam religionem traxerunt, legibus, et sanctis institutis seditiones et perturbationes uarias sedantes stabilierunt: quod quam acceptum sit Deo, et quam utile, ei qui hoc potest præstare, quiuis facile intelligit. De utilitate hæc satis dicta sint. Plura dixissem, si fuisset necesse; sed quoniam (ut animaduerto) ad hanc facultatem percipiendam, satis uestra sponte, estis incensi; reliqua capita explicemus. Laudantur auctores librorum; ut inde, eòrum auditores excitentur, ad eos studiosè legendos: idcirco interpretes Aristotelis, eum miris laudibus efferunt, et non immerito summum philosophum, naturæ miraculum, et eiusdem ueluti fidelissimum scribam nominant, ut inde homines ad eius studium alliciant: sic fecerunt Platonis, sic Ciceronis, sic etiam scolasticorum, hoc est, magistri sententiarum, B. Thomæ interpretes. De huius ecclesiasticæ Rhetoricæ auctore, quid dicam? cum reuera, quis fuerit eius auctor, non sit facile statuere, ut paucis, quomodo se res habet, aperiam: nec meum est hoc opus, nec non meum.

Carolus

Carolus Cardinalis Borrhomæus, de quo, quia non adest, hæc pauca mihi liceat dicere, uir certe, excellenti pietate in Deum præditus, et ad pristinum candorem ecclesiæ restituendum, his temporibus, a deo ecclesiæ datus, is uir, qui nunquam aliud cogitat, quam nobilißimam illam Mediolanensem Ecclesiam ornare, et alios Episcopos, quos omnes, fraterno quodam amore complectitur, ad idem studium, non cessat excitare; ita ut Italorum Episcoporum stimulus nominari merito poßit; is, inquam, animo concepit hanc Rhetoricam Ecclesiasticam, a principio, ut ingenue fatear, me etiam aliquantulum repugnante, et eius sententiæ contradicente: delineaui opus, laboraui etiam, quantum occupationes meæ multiplices concesserunt, aliquot menses. Doctißimus uir, et præstanti iudicio præditus, frater Hieronymus Vielmius ord. præd. Episcopus Emonensis, quo etiam doctore, dum Romæ, magna sua cum laude, publice sacram Theologiam profiteretur, sum usus, delineato a nobis operi, magnam utilitatem, pro sua multiplici doctrina, et magna in me beneuolentia, afferet: aliqui etiam e patribus societatis Iesu, quam societatem, filij, siquis florem ecclesiæ, iudicij, et bonarum literarum sanctam quandam academiam nominet, non errabit, iuuabunt hoc opus; et homines in sacrarum literarum studio, et sanctorum patrum lectione uersantes, ea præstabunt, in expoliendo hoc opere, quæ ipse, uarijs occupationibus distractus, magno etiam labore, præstare minime possem. Curabit etiam Cardinalis amplißimus, Ecclesiasticæ Rhetoricæ, ut ita dicam, pater, ut eruditi homines, et in Ecclesiastica eloquentia uersati, quos fouet, quos etiam alit, aliquid laboris, et industriæ, ad perficiendum hoc opus conferant. filij, hoc opus cum cum erit perfectum, si Cardinalis Borrhomæi opus esse existimabitis; putate eius auctorem esse spiritum sanctum; spiritu enim sancto, ut multa sunt indicia, uir ille Dei ducitur: si meum putabitis, quia illud delineauerim; ex patris uestri industria, et labore, aliquot fructus percipietis: quem enim magis non doceant paterna præcepta, quam aliorum? et quis domestica disciplina non delectetur magis? et hæc hodierno die sufficiant.

PRAELECTIO TERTIA.

DICAMVS de interprete ecclesiasticæ Rhetoricæ; quod non facimus, ut illum, qui interpretaturus est hos libros, doceamus; non

eget

eget enim ipse (ut opinor) meis præceptis; sed quia spero, fore aliquando, ut e uobis futuri sint aliqui, qui hanc eandem ecclesiasticam Rhetoricam, iis, qui succedent acolythis, in uestra schola, et iis qui seminarium admittentur, sint explicaturi. Qui ad munus docendi, deligitur, raro admodum accidit, ut ei desit satis bonum ingenium; et in primis etiam artibus, et in ea potissimum, quam explicaturus est, non sit uersatus: si quis enim, adiumento ingenij caret, quid est, cur alios uelit docere? Regium est (filij) docere. uidetur enim, aliqua ratione, qui docet, dominari, impellere, et trahere animos, quocunque uult. quo loco facere non possum, quin deplorem peruersam quorundam opinionem, qui genus hominum admodum utile, contemnunt, atque etiam in inuidiam adducunt; quasi uero cum non turpe, immo honorificum sit discere, non magis honorificum sit docere. sed profecto id accidit, ut qui in docendi munere uersati sint, male audierint, et contemptui haberi cœperint, quia sordide nobilissimam docendi artem exercuerunt: quo magis aliqui pueros docent, etiam in primis grammaticæ elementa, eo magis amandi, atque in honore habendi essent, quia misericordiam, nobilissimam uirtutem maxime exercent: sed præclarum, immo potius sanctum officium docendi, innocenter et sancte exercendum est. Nos autem quid requiramus in interprete ecclesiasticæ Rhetoricæ, diligenter attendite. Iudicium requirimus, cognitionem in primis, Rhetoricæ, Dialecticæ, et primarum artium, studium sanctorum patrum, diligentiam, modestiam in disputando, atque etiam humilitatem. Iudicium, doctus uir appellauit succum prudentiæ, quod in hoc maxime consistit, ut interpres non omnia, eundem in locum congerat, ea tantum seligat, quæ ad interpretationem loci, qui explicandum suscepit, pertinent; alia in aliud tempus ommittat, ut præstanti iudicio uir, Horatius præcepit in sua Poetica. Iudicij sane magna est penuria, hac tempestate, quod quidem, magna ex parte, a superbia proficisci, iure quispiam posset existimare. dum enim non haberi doctissimi uiri; magistri horum temporum timent, inculcant sæpe quæstiones difficillimas: nihil aut parum, ad uerba, quæ sibi explicanda proposuerunt, pertinentes; ita ut commodissime dici posit, non erat hic locus. Iudicij largitor est, ut cæterorum bonorum, dominus: a natura, semina iudicij insunt, in præclaris quibusdam ingenijs, quæ tamen exercitatione, et consuetudine doctorum hominum excoluntur.

Auscul-

Auscultatorio, et exquisito docendi genere non utatur interpres ecclesiasticæ Rhetoricæ; breuitati, et perspicuitati studeat; non uir magnus, sed perspicuus interpres haberi cupiat, ingenijs uestris consulat, non famam doctrinæ aucupetur. Optamus uehementer, ut in pulcherrimis illis libris, quos Aristoteles scripsit ad Theodectem, sit uersatus: ad illius enim grauissimi uiri imitationem, hoc opus studuimus disponere. ex commentariis, qui scripti sunt in eos libros, multa sumere poterit, quæ uestris studiis maxime conferent, Grammaticam nutricem omnium artium et scientiarum, non immerito alio loco, appellauimus; et sæpe huius ætatis deprauatam consuetudinem deplorauimus, quod quidam sine lacte huius nutricis ueluti infantes ad nobilissimas artes se conferant; quod in publicis etiam gymnasiis accidere facile quispiam poterit obseruare. Placebit igitur, ut in explicanda hac Rhetorica ecclesiastica, non solum congrue, sed latine etiam, et (si fieri poterit) elegantia quadam ecclesiastica, interpres sententia explicet. cum autem magna sit affinitas inter Rhetoricam, et Dialecticam; mihi ualde probatur, ut is qui munus Ecclesiasticæ Rhetoricæ explicandæ suscepit; in dialecticis sit uersatus, hanc imprimis ob causam, ut de uariis argumentorum generibus, de enthymemate, de exemplis, deque locis communibus possit ita differere, ut facile, ea quæ dixerit, in animis uestris imprimantur. Optamus ut in sanctorum patrum libris sit uersatus huius Rhetoricæ interpres, ad hunc usum, ut præcepta quæ tradita sunt in hoc opere, exemplis magis illustrentur; et non solum ut uestris studiis magis possit prodesse, sed etiam ut prosit operi (quod etsi non est editum, quia non est perfectum, uobis tamen ita postulantibus, explicari promittimus) illud augeat, atq. etiam exornet, et idcirco modestiam et humilitatem in eo etiam requirebamus. quamobrem? dicitis. ob hanc causam, non minus modestiam, quam doctrinam, in Ecclesiasticæ huius Rhetoricæ interprete optamus, ne uos erudiamini ad ostentationem; et ne argutiis quibusdam ea, quæ diuinitus uobis tradita sunt, iudicii semina, ista uestra ætate corrumpantur. Hanc ob causam S. Greg. Nazianz. in libro de moderatione adhibenda in disputando, tradit quasdam regulas admodum utiles, quibus ad modestiā et humilitatem possitis erudiri, ita enim summus ille uir scribit: non modestum tantum et humilem eum appellamus, qui de seipso parce, et cum paucis loquitur, et infimos humaniter complectitur; sed qui locum dicen-

di, libenter illis, ad quos pertinet, relinquit, et se fatetur nescire, quod non optime tenet: et paulo post, inquit, se malle esse ignarum, quam curiosum, et stupidum, quam audacem in pronuntiando: quæ uerba utinam considerarent illi, qui tanta cum uoluptate de omnibus rebus altercantur: utinam etiam considerarent ea, quæ idem uir grauissimus, in primo libro de Theologia scripsit: non esse cuiusuis, neque quouis loco, neque quouis tempore, de rebus diuinis disserere: quod quidem ante hunc Theologorum eloquentissimum uirum, animaduertit etiam Plato, qui in septimo de republica libro prohibuit adolescentes, in utranque partem, artis quibusdam disputationibus contendere, idque duplici de causa, ne ad ostentationem erudirentur, et ne iudicium corrumperent. quæ cautio, multò magis in sacra Theologia est adhibenda; adolescentibus imprimis, atque etiam illis, qui in scholastica doctrina uersantur, nunquam (ut in bene institutis monasteriis, et congregationibus, fieri consueuit) disputationes instituantur, nisi præsentibus iis, qui norint, et poßint, disputantes in officio continere, et eorum argumenta soluere. Quamobrem modestum imprimis esse, hoc est, alienum ab omni arrogantia, et ostentatione; de seipso, raro et parce loquentem, in disputationibus, gloriam minime captantem, cupimus esse Ecclesiasticæ Rhetoricæ interpretem. non tam enim disputationibus, quam dilucida, et breui quadam explicatione, præcepta Ecclesiasticæ Rhetoricæ in adolescentium animis sunt imprimenda. Requiro etiam humilitatem; tum quia humilitas est soror sapientiæ; tum maxime ne indignum putet, uiro, illis, quæ dixi, adiumentis instructo, librum adhuc minime editum, et nondum perfectum interpretari; quod tamen faciet, si gloriam Dei, et uestrorum studiorum utilitatem (ut pium hominem decet) spectabit. Iam uero septimum sequitur caput, quod erat, ut de legitimo auditore Ecclesiasticæ Rhetoricæ diceremus. uel mediocre etiam ingenium sufficit, ut quis hac in arte poßit proficere; eius enim præcipuus auctor est Spiritus sanctus, qui ut effugit fictos, et non habitat in anima subdita peccatis, ita bonitatem amat. Bonitatem igitur, quam puritatem nobis liceat nominare, in auditore huius operis requirimus: hoc animo ad audienda hæc præcepta, uos conferatis, ut animas perducatis ad Christum: faciatis primum, quæ aliis facienda proponitis: ideo hæc præcepta edіscatis, et mandetis memoriæ, ut matri uestræ, ut Ecclesiæ Veronensi seruiatis, ut Episcopum, et

patrem

patrem uestrum, aliquando uestra opera adiuuetis. quo loco facere non possum, qui n feruentia quædam ingenia (ut modestissimo uerbo utar) quæ me sæpe tristitia afficiunt, alloquar, quæ nulla doctrina satiari ista ætate possunt, quæ magistros etiam doctos interdum fastidiunt, et Veronensis diæcesis finibus minime contenta, uagantur nimium, et quid cogitant, sæpe nesciunt: ingrati et desertores filii, se stulte a matris amplexibus, conantes diuellere; quasi uero multi inueniri posint patres; et alio in loco facile sit reperire cibum, quo eorum animi pascantur, lacte materno suauiorem. Ita se res habet, mihi credite: nec omnibus, Romæ parati sunt magni honores; nec sunt etiam expetendi; sequuntur etiam interdum qui eos fugiunt. Quamobrem mundum uestrum putetis Veronam, et Veronensem diæcesim: ideo enim in hac diæcesi nati estis, ideo, tot, et tam magnis laboribus erudimini, ut matrem uestram consolemini, ut patrem uestrum magnis laboribus subleuetis. Diligentia (charissimi filii) est necessaria. Quare commodissime accidit, ut opinor, ut hoc opus non sit editum, ut singulis diebus, eius partem uobis describere, sit necesse: hoc conferet plurimum ad excitandam, atque etiam alendam diligentiam uestram, et fiet fortasse, ut scribendo hæc præcepta, memoriæ uestræ magis hæreant. hoc certe est uerissimum, antequam ars imprimendorum librorum esset in usu, non tantus fortasse fuit numerus eorum, qui docti appellari uoluerint; sed ij, qui eo tempore, litteris se tradiderunt, fuerunt longe doctissimi: ita ut, qui proximis annis uixerunt, et magno in honore sunt habiti, cum illis doctrina, minime conferri posse uideantur. Diligentia uestra apparebit in hoc, si non semel hoc opus descripseritis. Quod si demosthenem legimus, ut populum Atheniensem, in quam uellet sententiam, traheret: octies conciones Thucididis descripsisse, quanto magis seruus Dei, minister Ecclesiæ, ut animas lucretur CHRISTO, easq. ad cælestem patriam perducat, Ecclesiasticam Rhetoricam, artem maxime utilem describere, et eius præcepta in animo suo in primere debebit? Diligentiæ etiam laudem assequimini; si uobis singuli, commentarios, memoriæ causa conficietis; in quos, quæ singulis diebus audieritis, congeratis. ut legere, et non intelligere; negligere est; ita audire, et non commendare memoriæ, et non reuocare ad usum quod audieritis, contere-re tempus est. scitis, in quo diligentia uestra potissimum sit posita? in hoc, ut sæpe interrogetis magistrum uestrum, adhibita magna modestia;

interrogetis etiam doctos uiros, qui in hac Ecclesia non desunt: pulchra enim, et apposite facta interrogatio, et opportuna dubitatio, est inditium diligentiæ, et ornat uestram ætatem. requiro imprimis humilitatem: noui enim e uobis quosdam, qui multum proficerent, si se iam profecisse non arbitrarentur. ex iis etiam, quibus uos successistis, quibus non deest ingenium, et mediocris etiam cognitio, boni sacerdotes, atque etiam parochi euasissent, si sibi ipsi non defuissent, si nouissent illud, atque etiam obseruassent: festina lente: itaque inscribatur ante fores huius gymnasii; Puri diligentes, atque humiles tantum ingrediantur. Vltimo loco erat propositum, ut diceremus, qua ratione, Ecclesiasticæ Rhetoricæ præcepta ad usum essent reuocanda; quod si explicarem, ut res ipsa postulat, quarta etiam prælectio esset necessaria; sed, ut dixi, aliis grauioribus occupationibus impedior. Non est difficile, præcepta uniuscuiusque artis discere, atque etiam memoriæ mandare; difficile est, illa ad usum reuocare. Præcepta Rhetoricæ, præcepta Dialecticæ, theoremata etiam artis medicæ, breui tempore, facile percipi possent; ut autem ad usum reuocentur, uix una sufficit ætas. Quamobrem B. Augustinus scriptum reliquit; acria ac feruentia ingenia, exercitatione potius, et imitatione eloquentissimorum hominum, quam Rhetorum præceptis, ad laudem peruenire consueuisse. quòd si quis idem iudicauerit; non ideo tamen concludet, non utilem esse, præclaris ingeniis cognitionem etiam præceptorum, quæ ex ea ipsa obseruatione, qua adiuuantur, proficiscuntur. Hunc in modum reuocabitis ad usum ea præcepta, quæ de credendis tradita sunt: uerbi causa, explicantes illa uerba saluatoris, dicta Mariæ Magdalenæ: Fides tua te saluam fecit; de utilitate credendi, dicetis; fidem non sufficere, ostendetis, operibus esse comprobandam: credendum Deo, quia nunquã fallit, quia est optimus, quia est potentissimus, quia est sapientissimus. poteritis etiam sumere definitionem fidei, quæ est posita, ubi de uirtutibus agitur; et inde sumendæ propositiones, sumenda etiam argumenta ad dicendum. ita etiam explicantes illam propositionem: Si quis diligit me sermonem meum seruabit; uitam christianam esse regulam amoris ostendetis: omnes calamitates nasci, quia utimur fruendis, et fruimur utendis, ut S. dicebat Augustinus, quia non diligimus, quæ diligenda, quia in diligendo peruertimus ordinem: exhibitionem operis, esse indicium amoris: sermones Dei, esse præcepta Dei: adhibebitis autem locos,

qui

qui in secundo libro explicati sunt, ad excitandum amorem pertinentes: deinde utemini illis formis dicendi, de quibus in tertio egimus, monebitis, hortabimini, increpabitis, comminabimini: nitemini omni studio, et diligentia, ut ab amore seculi, populum pertrahatis ad amorem Dei. Ad usum reuocabitis præcepta: si in conscribendis sermonibus, quos coram me habere consueuistis, interdum diligentiam adhibueritis: si hanc legem uobis præscripseritis: nihil uos dicturos, quod cum præceptis huius artis non consentiat: quod assequemini, si in margine locos citabitis, si antequam in publicum prodeatis, inter uos conferetis quod dicturi estis: rogantes fratres, ut uos corrigant: admittere autem reprehensiones, est præclari ingenij, et bonorum morum inditium. Vobis etiam contigit acolythis, ut Patrem Alexium Figliuccium, quem habetis conscientiarũ uestrarum moderatorem, eundem habituri sitis iudicem et correctorem uestrorum sermonum, uirum bonum, et Ecclesiastica eloquentia ornatum, quem quotidie auditis. Sed quia nimium, hodierno die, sermonem potraxi, ut absoluerem quæ proposueram: aut, ut capita quæ proposui, attingerem; finem facio, et uehementer hortor fratres meos Canonicos, qui adsunt, ut cum ipse uos præsentia iuuare, non sæpe, ut optarem, possim: ipsi uos iuuent sua præsentia, et suis cohortationibus excitent; quod eos facturos, pro sua in uos charitate, et pro amore, quo affecti sunt erga hanc communem matrem uestram, et sponsam meam, Veronensem Ecclesiam, confido.

F I N I S.

INDEX.

Iudith.

FINIS.

LECTORI.

CVRATVM est diligenter, ut hoc opus imprimeretur emendate; sed forte aliquid mendi operarum culpa commissum est; in quod si incideris, pro prudentia tua tu illud corrigito.

REGISTRVM.

* ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA. a b c. A B C.

Omnes sunt duerni, præter c C terni.

LECTORI.

CVRATVM est diligenter, ut hoc opus imprimeretur emendate; sed forte aliquid mendi operarum culpa commissum est; in quod si incideris, pro prudentia tua tu illud corrigito.

REGISTRVM.

** * * A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA. a b c. A B C.*

Omnes sunt duerni, præter c C terni.

FINIS.

LECTORI.

CVRATVM est diligenter, ut hoc opus imprimeretur emendate; sed forte aliquid mendi operarum culpa commissum est; in quod si incideris, pro prudentia tua tu illud corrigito.

REGISTRVM.

* * * *A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA. a b c. A B C.*

Omnes sunt duerni, præter c C terni.

